











Sperata; q. celle dont on poursuit le mariage, Laccordée, la fiancee.

Icterus: jaunisse. Ictericus qui a la jaunisse.

Regius morbus. la jaunisse
Auriginosus. qui a la jaunisse
Icterus. jaunisse. Icteric⁹ q. a la jaunisse

Sonticus morbus, mal caduc, mal st jean. elle sappelle aussy
Epilepsia; Comitialis morbus.

Cancros jmitare legendo

Roma tibi subito motibus ibit amor.
Robur Aut tenet, et te tenet dua rubor.
Sator arepo tenet opera rotas.
Mitto tibi metulas. cancros jmitare legendo.

Quis legem dedit Amantibus?
Maior lex Amor est sibi. L'Amour ne prend loy que de soy mesme.

Jn hoc jacent sarcophago
Sidrach, Mysach et Abdenago
igne usti ut pelago
Quos Rex persarum Zenonus
ut fugarem dæmonas
jussit deferri Lingonas.

Nocte rubens cælum cras jndicat esse serenum
Cum rubet in mane tẽpus signat pluuiale.

Lustricus parens, un parain. Lustricus purgatif, quia aĩa purgatur per aquam in baptismo.

de partu mulierum et

secundina. fol. 129. et 130

Pour oster des taches de rouilleures de fer. ou des marques d'ancre de long temps. Mettez de leau entre deux plats sur un rechaud; a force de bouillir il en passe au travers du plat de dessus comme une petite quinte essence qui paroist au hault du plat qui couvre lautre. prenez un peu d'ozeille et la mettez dans un petit linge; et laplicquez sur le hault du plat en la pressant un peu; elle s'humectera et estant assez humectée vous en froterez le lieu taché et ostera la tache de rouille ou d'ancre

Pour un linge qui est roux. ou vous frottez le de beurre salé; ou avec du sel mouillé; il blanchira

Lustricus. Lustrificus et Lustralis hæc tria idem significant.
Aqua lustralis, eau beniste. Anima purgatur aquâ lustrali in baptismo.

a. um.
Adynamus. sans force.
Adytum. i. lieu secret au temple, auquel il est loisible a peu de gens d'entrer.

DE NATVRAE ALIQVOT ARCANIS, SYMPATHIIS ET ANTIPATHIIS, INSIGNIBVSQVE MEDICAMENTIS

LIBELLI DVO AVREI.

AVTHORES SEQVENS PAGELLA INDICAT.

VTERE, VALE ATQVE VIVE.



BOSPHORI,
Apud Christophorum Iustinum,
ANNO M. DC. XXII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

AD LECTOREM.

DVo ſunt in homine præſtā-tiſſima, anima & corpus: animæ panis eſt Euangelium, corporis medicina. Qui Chriſti præcepta ſarta tecta ad finem vſque vitæ habuerit, ſeruabitur: qui germanę medicinæ operam dederit, cum Genio ſuo belligerauerit, vitam ſuam prolongabit. Hoc fine Libellos hos in publicum emittimus, quos ne parui pendas, autores ſubijcimus.

Eccleſiaſticus.
Schola Salernitana.
Hieronymus Cardanus.
Leuinus Lemnius.
Simon Seth.
Antonius Mizaldus.
Hollerius.
M. Cato.
Philippus Ingraſſia.
Iul. Cæſ. Baricell⁹.
Franc Iunctinus.
Plinius.
Frācis. Thomaſius.
Theophraſtus.
Gemma Coſmacrit.
M. Varro.
Petrus Foreſtus.
Anonymus, &c.

NATVRÆ ARCANORVM, SYMPATHIARVM ET ANTIPATHIARVM INSIGNIVMQVE medicamentorum

Canis id est canicula & sydus cæleste

LIBER PRIMVS.



ANIS ortum sentiunt maria & terræ; multæ verò & feræ; feruent maria, fluctuãt in cellis vina, mouentur stagna: sentiunt & sideris effectum canes ipsi, quos eo toto spatio maximè in rabiem agi non est dubium, *ex Mizaldo.*

Sucula petite truye, truyette

Vergiliarum occultatio & emersio Sucularum tempestuosi sideris, si pluuiosam tempestatẽ mouerit, & vitis & olei germinationem suffocabit. Ex hac causa Democritus olei pręuisa caritate, magna vtilitate oliuas in toto eo tractu coëmit & diues factus est: Ex *Franc. Iunctino in Sphara.*

Aperiam

Aperiam aquam, quam ſcribunt reſtituiſſe viſum cæco nouẽ annorum. R. ſucci apij, fæniculi, verbenę, chamedryos, pimpinellæ, garyophilatæ, ſaluiæ, chelidoniæ, rutæ, centinodiæ, morſus gallinæ, garyophyllorum, farinæ volatilis an. vnc. j. piperis craſſiuſculè triti, nucis muſchatæ, ligni aloes an. drach. iij. omnia immergantur in vrina pueri, & ſexta parte vini maluatici. Bulliant breui tempore, tum exprime & percola. Repone vaſe vitreo benè obturato. Horâ ſomni ſingulas guttas, ſingulis oculis inſtilla. *Holler.*

Pullus Gallinaceus vixdum natus, equum elephantemque nihil reformidat. Idem ille miluum vel longè cõſpectum, adeò expaueſcit, vt ad matrem ſtatim confugiat: eadem agno & lupo, multiſque inimicitia eſt. *Ex Hieronymo Frecaſtorio.*

Mirabilis eſt verbenæ proprietas in dolore capitis mitigando. Cum enim quidam nullis remedijs, quamuis optimis curari potuiſſet, non venæ ſectione, non ſcrupis degerentibus, neque decoctis pilulis, cucurbitulis &c. cum autem nulla iuuarent remedia, ad collũ verbena viridis appẽſa eſt, & ſanus factus eſt. *Petr. Foreſtus lib. 9. obſer. 3.*

Fulmen aurum colliquat intacto loculo: tum etiam vina abſumit, vaſe nequidquam læſo. *ex Hierony. Frecaſtorio.*

Miza de Carduo Benedicto. Planta hæc venena superat, & confert vlceribus, est præsentaneum remedium ad pestem, necat vermes & in vtero prodest, & in cibo & potu vsurpata, ab immenso illo præseruat capitis dolore, quem Hemicraniam vocant. *ex Trago.*

farta sine Pisces summopere expetunt radicem Aristolochiæ rotundæ. Itaque si contusam admixtam calce, mari aut fluuio sparseris, cupiditate mira aduolabunt pisces, continuoq; exanimati fluitabunt. Id Plinius corā se factū testatur. Ob id piscatores in Campania, venenum terræ nominabant. Nunc & cyclamini radice itidem contingit, *autor Plinius.*

Thapsia *autore Theophrasto* suggillata & liuentia illustrat. Hinc Nero Cæsar ex Thapsia, thure & cera commista, liniměto conuerberatam & liuentem faciem collinibat, quo præsidio ante lucem à fœdâ suggillatione liberabatur, sicq; facinoris sui famam occultabat.

Simplex rusticitas obseruauit, serpentem obtorpescere, quæ coryli caudice, vel surculo tacta fuerit & tādě mori. *ex Mizaldo.*

Oleo vitrioli & sulphuris tanta inest virtus & potentia, vt mortuos ferè pueros è vermib. ad vitā trahat. Hoc paratur modo. In libris singulis aquę fontis olei, sulphuris, vel

vel vitrioli chimicè extractorũ, aliquot guttulæ addendæ ſunt, ita vt aqua acidula fiat, quæ pueris, natuq; maioribus danda eſt diu noctuq; ad placitum, eſt enim præſtantiſſimæ virtutis, quod ego magnis experimentis comprobaui, *autor Iulius Cæſar Baricellus.*

Magna eſt ſympathia inter feles & calaminthe ſpeciem tertiam quæ vulgo nepeta dicitur. Nam tantâ odoris huius capiuntur voluptate, vt ſi vulſæ contingat illos occurrere, ei ſeſe ſtatim affricent: deinde magnâ auiditate ramos depaſcantur. Quin & ſolo eius eſu, æluros concipere vulgus ſibi perſuaſit. vnde populatim dici ſolet herba cati. *Mizaldus.*

Sunt duo incommoda, quæ maximã partem humani generis tollunt, pluſque ſatis quàm bella aut crapula: æſtuantem exponere ſe aëri frigido, & humidos ac madidos pedes diu ferre, id eſt, per aliquot horas, & maximè ſi quis cum hoc cibis ſe repleat. Porrò, quod ita ſit, experientia docet, cùm ſub vere tot ruſtici apud nos pereant: & in vrbibus, vix vnus aut alter abſq; his initijs moritur. Galenus in libris de tuenda ſanitate de his verbum nõ fecit. *Cardanus lib. 13. ca. 63. de rerum varietate.*

Scarabeus notum animal, ſolis & lunæ coitum omnibus apertè demonſtrat:

 quan-

quandoquidem ex bubalo ſtercore pilulam ab ortu ad occaſum rotando verſans, in orbis imaginem effingit: quam viginti octo diebus facto humi ſcrobiculo adobruens, tantiſper celat, dum ſigniferum ambiens luna ad inter menſtruum reuertens ſileat: apertoque tum orbiculo, coitus ſiderum denuntians; nouam prolem edit, nec aliam naſcendi nouit originem. *Mizaldus.*

Iſchias goutte ſciatique arthritis artuum morbus arthriticus goutteux arthritis, idis la goutte

In deſperatis iſchiadis doloribus arthriticis, atque affectibus inueteratis, ijſq; potiſſimum qui ex atro & melãcholico humore excitantur, extractum nigri Hellebori, remedium præſtantiſſimum ſemper eſſe inueni. Capiantur nigri Hellebori radices à ſordibus purgatæ, & in pila terantur groſſo modo: infundantur vino albo, & in vaſe terreo ebulliantur quouſque radices benè emolliantur, quo facto prælo exprimantur, & iterum in vaſe terreo leniter ebulliat (deiectis tamen radicibus) quod fuerit expreſſum. Acquiret ſuccus ſpiſſitudinem inſtar picis, qui cum modico cinnamomo, & puluere aniſorum miſcendus eſt. Doſis in grãdiorib. eſt ſcrup. ſem. in minoribus à granis quatuor vſque ad ſex. Datur cum zuccaro in forma pilular. Confiteor in obſtructionibus, in epilepticis, retentione menſtruorum ex craſſorum humorum infarctu & alijs inueteratis affectibus, mirabiles huius reme-

dij

dij ſucceſſus vidiſſe. Conficitur etiam extractum ſine expreſſione, & efficaciſſimum eſt. *Iul. Cæſar Baricellus autor.*

Segetis magna eſt cum Nuce arbore ſympathia ac familiaritas: nam ſi hæc flore & fructu luxuriauerit, illa idem omninò præſtabit. *Audi Virgilium.*

Sedulus obſerua cum ſe nux plurima ſyluis
Induet in florem, & ramos curuabit olentes:
Si ſuperant fructus, pariter frumenta ſequētur:
Magnaq; cum magno veniet tritura calore.
At ſi luxuria foliorum exuberat vmbra,
Nequicquam pingues palea teret area culmos.
ex Mizaldo.

Ruſticus quidam dum herbas ſecaret à vipera morſus, per impoſitionem tormentillæ à campo penſili collectæ illico liberatus eſt. Alter cum ingenti dolore premeretur ſuper dextra ſpatula, & ita angeretur vt vix ſe pedibus continere poſſet, veritus ne à ſcorpione eſſet commorſus, oleum bibit, multum vomuit & à dolore leuatus eſt, & quod mirabilius in ſpatula nihil erat ſigni, vbi prius fuerat dolor. Quidam etiam à ſimili dolore & tremore correptus ex aſſumpto bolo armeno cũ aceto ſubitò euaſit. Puellus etiam putredinem timens, & vermes, aſſumpſit Scordeum & liber factus eſt. *ex Franc. Thomaſio de peſte.*

ozeille, vinette Lapathi folia ventrem cient, ſemen

ciere, prouoquer, esmouuoir, appeller

assumptum stringit: & brasicæ, lentium, ostreorum, gallorum vetustorum ius & decoctum sumptum, aluum soluit: ipsum autem singulorũ corpus, ventrem comprimit. *Galenus lib.*11.*simpl.med.& lib.aliment.*1.

Pisces ægrotantes in piscinis apio viridi recreantur, seu petrosilino: quod etiam oris suauitatem maximè commendare mãducantibus traditur, *Autor Theophrastus.*

Pulegium recens incensum pulices necat: vnde illi nomen. *ex Mizaldo.*

Ad morsum canis rabidi vnicum remedium, quodam oraculo repertũ proponit Plinius lib. 8. cap. 41. Hæc radix siluestris rosæ est, quæ Cynorhoda appellatur. Narrat. B. Fulgosius de quadam fœmina, quæ per somnium admonita est, vt radicem Cynorhodi filio à cane rabido demorso, & aquas iam metuenti præberet, quæ statim ex Hispania afferri curauit radicẽ, qua Hydrophobicus celerrimè sanitati fuit restitutus. *Ex Gemma Cosmaerit. lib.* 1. *cap.* 6.

Vino quod acorem quendam iam concepit, medetur ollula aquæ bonæ plena, vt autor est Tarentinus: quæ diligenter operta in dolium demergatur: post triduum inuenietur ab acore vinum sese recollegisse, & aquam ipsam olere, si pristinum robur resumpserit.

Si cinnamomi oleum ad diuersas infirmi-

firmitates parare optabimus, capere oportet, cinnamomi contriti lib. j. quam ad instar liquidæ pultis cum oleo amigdalarum dulcium commiſcere ſtudebimus, tum demum duodecim dierum ſpatio in loco tepido clauſo vaſculo ſituabimus, poſtmodum ex torculari id exprimatur fortiter: hac etenim methodo oleum, odoris, coloris & ſaporis cinnamomi habebimus ad votum. Hoc ad vires reparandas & valetudinem conſeruandam rarum eſt remedium, prodeſt parturientibus, & in ſtomacho debilitato tam interius quàm exterius vſurpatur, ægritudines frigidas arcet, & in partibus corporis roborandis eſt tantæ efficaciæ, vt vix alterum conſimile inueniatur remedium. *Autor Iul. Cæſ. Baricellus.*

Si moſchum inodorum fuerit, latrinis ſuſpenſum odorem reuocat. Et roſæ dum aperiri incipiunt, ſi ſulphure ſuffumigentur, è veſtigio albeſcunt: *autor Dydimus in Georg.* Addo quod arundineta incenſa vegetiora renaſcuntur. Et augeſcente luna ſi agri ſtercorentur herbarum excretionem adiuuant. *Mizaldus.*

Si voles in conuiuio cœnare libenter, ante cœnam braſſicam crudam, quantam voles, ex aceto manducato: & item vbi cœnaueris, comeſto aliqua quin-

que folia, reddent te quaſi nihil ederis. *authores Marc. Cato & M. Varro in lib. de re ruſtica.*

Mirabile quidem, quod è Cataputiæ ſeminibus extrahitur, oleum eſt, quippe in expellendis morbis, qui à flatu, ſuccisq; frigidis oriuntur, principẽ habet locum. Contundantur huius ſemina, atq; in aqua tamdiu ebulliant, vt excocta videantur, mox oleum in aqua ſupernatans cochleari colligendum eſt. Mos eſt apud Indos tale oleum commodius per decoctionẽ, quàm expreſſionem colligere. Vſurpatur hoc feliciſſimo ſucceſſu in Tympania, colicis, iliacisq; doloribus, ſtomachi affectione, atque in ijs morbis, qui à ſuccis frigidis, flatuque fiunt. Huius gutta aliquo liquore in potu ſumpta aquam citrinam euacuat, in articulorumq; doloribus pituitam, humoreſque frigidos. Extrinſecè vſurpatur in omni Hydropis ſpecie: vbi tamen flatuoſitas viget, maximã in expellenda proprietatem habere videtur. *Ex Don Gorzia ab Horto.*

Quidam oua magna ſibi generari cupientes, rubricam diſſolutam cibo gallinarum admiſcent. Cæterùm non abortiet gallina, ſi albumen oui aſſati & vuæ paſſæ ædilis toſtæ tantundẽ ſimul triueris, ac ante alium cibum appoſueris: *autores Leontius & Pamphilus in Græcorum Geopon.*

Hydrar-

Hydrargyrum vel argentum viuum, quod à multis venenum existimatur, felicissimo successu contra vermes exhibetur; tantæque certitudinis illud in Hispania reputatur, vt mulieres tenellis pueris, qui lactis vomitu laborant, ad quantitatem granorum trium in propria substantia propinare audeant: hac enim via morbus cessare videtur frequentatis experimentis. Ego quidem viduam mulierem curaui, quæ nouem dierum spatio vomitibus continuis ex vermibus laborauerat, & ferè triduo non comederat, nec cibum retinere valuerat. Huic cum scrupij hydrargyri mortificati, cum tantillo cidonij propinassem, absque vlla molestia per aluum centum & plures emisit vermes, & eadem die liberata est, & solita exercuit domi, magna profectò parentum admiratione, cum prius debilis & emaciata esset: Alijs etiam exhibui, & bono semper euentu, domique continuò aquam habeo, in qua Hydrargyrum infusum retineo, illamque puerulis pro vermibus libentissimè concedo, nec adhuc quempiam ex illo noxiam recepisse expertus sum. Datur pueris in substantia scrup.j. grandioribus scrup.ij. vel drach.j. Corrigitur illud & mortificatur in mortario vitreo cum zuccaro rubeo: ibi enim tamdiu conteritur, vt in partes inuisibiles dissoluatur: ne autem in pristinam for-

mam iterum redeat; olei amigdal. dulc. guttulas binas addere oportet, & cum zuccaro rof. violato vel cidoniato ieiuno ftomacho languentibus propinatur. In maiori dofi nõ dedi, neque concederem: licet apud Aufonium Epigr. 10. legatur hydrargyrum cõtra medicinas venenofas valere. *Autor Iul. Cæf. Baricellus.*

Formica minimum animal, lunaris fideris vires fentit: nam interlunio quiefcit, plenilunio etiam totis noctibus operatur. *ex Mizaldo.*

Auri lamina fuper coronalem futuram geftata, cerebrum confirmat, & dolorem capitis remouet. Eadem diu è cordis regione geftata, palpitationem illius curat, & confortat. Quòd fi fuper renes ponatur, ipfos confirmat, refrigerat, & ob id nephreticis magno eft auxilio, dolorefq; fedat. *ex Cardano.*

Gallus Gallinaceus manifeftam cum fole habet fympathiam. Nam illum ad omnes mundi angulos feftinantem, exortiuum, occiduum & meridianum vtrumque fupra terram & infra, voce admodum vocali, & alarum applaufu congratulantis modo, falutat ac refalutat. *ex Mizaldo.*

Valeriana fylueftris, quæ fponte nafcitur, præter innumeras, quæ ab autoribus ei tribuuntur virtutes, hanc iam diu in multis

tis atque in ſe ipſo Fabius Columna in hiſtor.plant.expertam aperuit, vt ſemel,vel bis radicis pulueris cochlearij dimidium cum vino,aqua, lacte, aut alio quouis decenti ſucco & pro ægroti commoditate, & ætate ſumptum , epilepſiâ correptos liberet. Extirpatur antequam caulem edat, & pueris exhibetur, & præſertim infantibus, qui morbo hoc facilè laborant. Retulit autor ſe multis puerulis lac propinaſſe, multiſque amicis dono dediſſe : qui, puluere huius plantæ illis reſtitutam ſanitatem, affirmarunt. *ex Iulio Caeſ. Baricello.*

Intemperantia potus quam cibi nocentior eſt. Nam cibus in ventriculo hæret,dum concoctus eſt, qui ſi oneri eſt, minimo negotio vomitu excutitur,quod non æquè naturæ procliue ac facile eſt in potu. Argumento, quod canes, feles, glires, ſorices, ſi veneno medicatas offas aut buccellas deuoraſſe contingat , irritatâ ad excretionem Naturæ facultate , nulla moleſtia euomunt , quod in liquidis factu difficillimum. Quo fit vt venena in potu exhibita magis quam in eſculentis ſint noxia. Rapitur enim citiſſimè in omnes corporis partes virus,ac vitalia corrumpit , maximè ſi ex vino propinetur. *Lemnius.*

Pleni-

Plenilunio maximè gliſcunt in hortis cucumeres, manifeſtumque incrementum capeſſunt: & more marinorum Echinorum implentur, vt tradit Athenæus. Cæterùm à mulis (vt pepones à felibus) maximè expetuntur: nam odorem illorum eminus ſentiunt. Quare munienda ſunt cucumeraria, ne erumpentes ea depopulentur, ac proterant. *ex Mizaldo.*

Radix Peoniæ maſculæ Maio collecta & creſcente luna, pro amuleto ſuſpenſa, podagricos & calculoſos iuuat. *Cardanus.*

Rutæ odor, allijque ſerpentibus maximè eſt aduerſus. Ideò Perſę coquinas allijs replebant, vt ipſas à ſerpentium contagio tuerentur. *Simon Seth.*

Ebrij ex cereuiſia, capite in ceruices deuoluto, hianti ore dormiunt: ex vino autem, facie mentoque in pectus inclinato. Ratio eſt, quod fumi vaporeſque ex vino ſinciput, parteſque corporis anteriores occupant: ex cereuiſia occiput, parteſque poſticas obſident. Quo fit, vt iſti obliuioſi ſint, ac ſomnolenti, minimeque loquaces ac clamoſi. *Lemnius.*

Ad facies mulierum rugatas ſelectum præſidium. Alumen tritum, & cum recentis oui albumine agitatum, ſi deinde ferbuerit in olla, & ſpatula ligno continuò mouebitur, in vnguenti ſpiſſitudinem tranſit. Hoc

ſibi

si biduo vel triduo facies manè & vesperi collinitur, non modo emaciabitur & erugabitur, sed summè pulchra & grata erit. *Iul. Caes. Baricellus.*

Si sanguis fluat ex naribus, constricto eiusdem partis digito persæpè sistitur. *Cardanus.*

Cepe, vt est apud Plutarchum, reuirescit & congerminat decedente lunâ: contra autem marcescit adolescente. Idcirco Ægyptij cepas non edunt: quia solum olerum omnium contra sideris incrementa, damnaque, vires minuendi & augendi habet contrarias. Siquidem omnia quæ crescente luna gliscunt, eadem senescente tabescũt. Quod in ostreis apertè cognoscitur, quas sideris iuuenta complet, ac vberiores facit: senium deplet, ac macras reddit. Cùm ergo herbę, animalia, fruges, arbores, his lunæ damnis subijciuntur, solum cepe vicissitudines nouit aduersas. *Mizaldus.*

Fœcunditatis atque expugnãdæ sterilitatis quædam vis inest sali, illiusq; conspersu agri quidam feraces efficiuntur. Obesæ siquidem mulieres, quæ magna ex parte effætæ sunt, moderato illius in condimentis vsu fœcundæ fiunt: abstergit enim omnem vliginem, vuluamque plus satis vuidam ac madidam exsiccat, efficitque vt genitale semen facilius vtero minus lubrico adhæreścat.

cat. Viris quoque lumbos incitare, mouereque tentiginem, belgæ commonſtrant: qui cum ſalis affatim vtantur, impensè ſalaces exiſtunt. Sic frequens marinorum piſcium eſus, omniaque teſtacea, oſtrea, gummari, locuſtæ, cancri, cochleæ, conchæque marinæ, libidinem concitant caliditatis mordaciſque naturæ ratione. Moderatus vſus ſalis animi vigorem expergefacit, ac non ſolum in amplexu, fingendiſque oſculis, ſed in omnibus negotijs obeundis reddit alacriores & erectiores. Fœcunditati autem auxiliari vel illud argumento eſt, quod immenſa vis murium ſoricumque in marinis nauibus enaſci ſoleat, & quod mulieres ſalinariæ continenter pruriant, multarumq; prolium ſint feraces: vt quibus nautæ ac piſcatores in portum delati ſunt adiumento, qui ſtrenuè rerum ſuarum ſatagunt. Hac inducti ratione in nonnullis regionibus coloni, iumentorum pabulo nonnihil ſalis inſpergunt, quòd ſint ad cibum auidiores, atq; ad ſubeundos labores, gignendumque magis alacres & erecti. Agris quoque ſterilitatem eo expugnant vbi plus ſatis paluſtres ſunt atque vliginoſi. *Lemnius.*

Ægrotabat olim in Sicilia Prorex Ioannes à Vega: ſumptoque pharmaco ſegniter purgationem habebat. Medicus familiaris, vt aluum irritaret, iuris pul-

li ſi-

li ſine ſale paratum cyathum coram Principe habebat: illumque nauſeantem, & tale brodium abhorrentem, vt ebiberet exorabat. Superueniens autem Philippus Ingraſſia, iuris vice, libram aquæ frigidæ cum vncia zuccari mediocris albedinis propinauit. Erat enim ille frigidæ potioni aſſuetus, atque iecore percalidus. At frigida epota, deſtructa eſt confeſtim nauſea, ſedatiſque nonnullis in ore ventriculi morſibus, talem è veſtigio purgationem feliciter perfecit, vt gratias referre Ingraſſiæ pro tali frigidæ potione cupiens, argenteum illud vas, in quo repoſita frigida fuerat, pretij aureorum nummorum quinquaginta, gratiſſimo animo donauerit. *Ingraſſ. de frig. pot. poſt. medic.*

Celebres tempeſtatis noſtræ Medici ex araneorum telis, & populeo vnguento pilulas parant, corporiſque locis, horis aliquot ante acceſſionem, in quibus arteriarum euidens deprehenditur pulſatio, colligant & relinquunt; inde votum non ſine felici ſucceſſu conſequuntur. *Ioannes Moibanus.*

Ambroſiam producere vitam in longiſſimum æuum plerique affirmant. Italia quoq; hanc herbam, licet raram fert: ſed ſi ſeratur nõ reijciet: facile dignoſcitur, quòd

ſola

ſola ſuo ſemine quemadmodum copioſum fert vinum ſuauiter redolet: racemoſa eſt, ruthæ folio, radice valde longa exiliq; nunquam floret. Vſus igitur herbæ huius vitam producere creditur: nec ratione caret, quod ex proprietate fit. *Cardanus.*

Sirij veſpertinus occaſus, ſi biduo anteuertat, vel ſequatur plenilunium, ſegeti rubiginem, & floreſcentibus vredinem prænunciat. Procionis occaſus veſpertinus, ſi interlunio eueniat, florenti viti, & oleæ germinãti iniuriã ex vredine adfert. *Ex Iũctino.*

Luna dum ſoli opponitur, vehementius furioſos inſanire obſeruamus: tunc enim ex ſuperabundantium humorum copia cerebrum ad cranium vſque intumeſcit, eoſq; ad furiam ducit. Hac (vt reor) cauſa, furioſos Britanni luna quarta decima verberibus affligunt, conſiderantes ſcilicet ſanguinem & ſpiritum tunc temporis efferueſcere. *Bodinus in theat. nat.*

Laborant vina, vt Paxamus tradit, occaſu Pleïadum: vel cum flore vitis exuitur æſtiuo ſolſtitio, vel exortu Caniculæ: ſentiuntque vitia cùm cœlum incendio flagrat: cum etiam aër nimio frigore riget: & cum vehementes inceſſerunt pluuiæ. Item cum diro tonitru concutiuntur: aut cùm cœlum violentius coruſcat fulgetris. Poſtremorum noxam arcere credidit Zoroaſtres, ferrum oper-

operculis doliorum ſuperpoſitum. Alij admotos lauri ramos, cęcâ naturarum diſcordiâ, vinum ab huiuſmodi iniuria vindicare ſcripſerunt. *Mizaldus.*

Peculiare eſt vlmo, tiliæ, oleæ, populo albæ, & ſalici, vt circumagant folia poſt ſolſtitium, vertantque ſupinas partes: nec alio argumento ruſtici intelligunt confectum ſydus, *vt ſcribit Plinius.*

Creditum eſt annulum ex bubalorũ cornibus, prohibere dolores, qui in mẽbris fiunt à flatu: ramphum quidam vocant. Eſt autem propriè in muſculis, & quaſi conuulſionis initium quoddam. *Cardanus.*

Si barba ſola caneſcit, imbecillitatem genitalium & impotentiam ad venerem ſignificat. Sicut ſi ſoli capilli caneſcant, curas & cerebri imbecillitatem ac timores. velut ſi vtrinque canities contingat, ſenilem habitum & totius corporis refrigerationem. *Cardanus.*

Inprimis obſeruandum, ne quis diluculo vinum bibere conſueſcat. Eſt enim naturæ aduerſiſſimum: animi ſiquidem vigorem hebetat, mentemque obnubilat, ac neruos afficit. Quocirca ſibi quiſque matutinis horis vini vſum prorſus interdicat, ſed ſumpto nonnihil edulij, parcius dilutiuſque bibat. Pauciſſima enim natura manè exigit, tantumq; foueri pauxillulo alimento po-

Nota.

topoſtulat, ne calor naturalis flacceſcat. *Lemnius.*

Icta fulmine corpora, incorrupta manent: quapropter cadauera percuſſorum, veteres neq; vrebant, neq; terra obruebant: vt ne vllam quidem ea ſentire corruptionẽ, omnibus perſpicuum eſſet. Addo quòd canes & aues ab huiuſmodi cadaueribus abſtinent. *Mizaldus.*

Vt frumẽtum in multos annos à putredine & beſtiolis immune perſeueret, abſynthij, aut abrotani arida folia impone: aut aridæ herbæ ſemperuiui folia. Præterea ne formicę frumẽtarios aceruos in horreis cõtingant, origanũ ſylueſtre circumpone. Autor *Tarentinus apud Caſſium Dionyſium Vticenſem.*

Olei Balneum, vt Herodotus antiquiſſimus medicus prodidit, qui à diuturnis affliguntur febribus, à laſſitudine, vel neruoſarum partium doloribus oppreſſis, conuulſis, & vrinis ſuppreſſis laudatiſſimum, ac ſalutare remedium eſſe experimur. Vidit huius præſidij experientiam Hurnius in quodam extenuato, ac ferè exhauſto, dum eſſet Patauij: illum enim validiſſima occupauerat conuulſio, at tepidi olei pleno vaſe immerſus, ac fotus, ſanus euaſit. *In lib. noſtro de hydron. nat. I. C. Baricellus.*

Ficus

Ficus arbor fulmine non icitur: nec vituli marini tergus, nec Hyenæ pellis. Quare gubernatores naucleri, extrema vela ijs muniunt, ne fulmine contacta deflagrent. *Mizaldus.*

Vineas plantaturus debet quercinam glandem contusam & eruum fractum simul miscere, plantarumque locos inde aspergere: hæc enim ad radicationem, vini vetustatem, & fertilitatem plurimùm conducunt: *Autor Africanus in Georgicis.*

Mulieres illæ magis feruidæ sunt acresque in venerem, magisque auidæ explendæ voluptatis, quibus plus caloris insitum est; quod ferè vsu venire solet pallidis ac macilentis, quæque subfusco colore existunt, habent enim illæ partes genitales acri mordacique salsugine imbutas, quocirca irrigari humectarique postulant: atque hinc est quod æstate fœminæ magis pruriant, ac concubitum appetant, quum eo tempore ijs calor augescat, flaccidus autem fiat viris ac languescat. Obesæ autem & rubicundæ mulieres, quia affluenti humore perfusæ sunt, semenque genitiuum dilutum habent, cupidine languida, magisque sedata existunt. Itaque delectum viros habere conuenit, nec cuiuis temerè dextram inijcere. Quisquis enim gracili atque

salsugo liqueur salée, de la saulmure. postulant

extenua-

extenuato corpore, vergentique ætate ac deuexa, eam nactus eſt, quæ aſſidua prurigine vritur, quæque laſſata non ſatietur, carnificinam ſibi paratam meminerit quæ itẽtidem incrudeſcit. *Lemnius.*

Inter Alexipharmaca præſidia, Rutã minimæ conditionis haud eſſe perhibent, ſiquidem ieiuno ſtomacho comeſta multos à veneni virulẽtia liberaſſe legimus. De hac Athenæus in 3. Deip. loquens Archelaum Ponti regem ſuos populos veneno interimere conſueuiſſe ſcribit, illos autem à quibuſdam edoctos, ob id antequam è domibus egrederentur, quotidie rutam edere ſolitos à Tyranni crudelitate ſe defendiſſe. *I.C. Baricellus.*

Syderatam vitem cognoſces quando folia admodum ſubrubra habet. Curabis, ſi terebro tunicam altè perforaueris: & per foramen quernum paxillum indideris. Alij trunco & radicibus humanum lotium affundunt; *autor Caſſianus in Georgicis.*

Tanta eſt Adamantis cum hircino ſanguine diſpatheia & odium, vt ſi in illo recenti & calenti adhuc maceretur, ſtatim rumpatur: qui alioquin incudibus, ferro, malleis, & igni (tam eſt vis indomita) non cederet. *Plinius lib. 37. cap. 4.*

Si hyeme res quæ madidæ eſſe ſolent, ſicciores videantur, aut guttæ ex tectis manantes

nantes lentius cadunt ac quasi hærent, grauioris hyemis & gelu indicia sunt. *Cardan*⁹.

Oleum satis omnibus est inimicum, emoriturque stirps quæ eo fuerit inuncta: quare oleosæ arbores cæterarum insitionem respuunt. *Mizaldus*.

Inter chimicæ artis arcana, non est parui momenti illa cognitio, quomodo à vitriolo æris lamellæ extrahantur, aperiam modum, qua facilitate id assequi valeamus. Bulliatur Romanum vitriolum in olla cum aqua fontis: in eaque chalybis lamina per horæ quaternionem demergatur: extrahito demum chalybem, ipsum enim lamellis æris instar ruginis colligatum habebis, quæ cultro radendæ sunt, vt alias chalybem immergere possis, nouasque lamellas extrahere; siquidem tamdiu corradi poterunt, quousque vitrioli portio in aqua fuerit. Arrigat aures ingeniosus, quia ex hoc minimo principio multa, præcipuè in re medica, vtilia assequetur. *I C. Barıcellus*. chalybs acies

Gallinacei vulpes oderunt: quarum iecur aridum si ederint, ab illis nequaquam attingentur. *Plinius lib*.28.*cap*.20.

Adamas cum Magnete lapide dissidet, vt iuxta positus ferrum non patiatur abstrahi: aut si apprehenderit, auferat: quo argumento probari poterunt veri Adamantes ab adulterinis, quales hodie sunt multi. *Mizal*.

Lichen. eris. dartre. seu volage
mentagra, ~~[illegible]~~ la male dartre.

Saliua ieiuni præſertim hominis qua vi polleat, varia experimenta cõmonſtrant. Nam lichenas, mentagrã, impetiginem, variolos, ſerpiginẽ, omniſq; generis puſtulas abſtergũt. Et ſi cui parti corporis virulentæ beſtiolæ inſederint, crabones, ſcarabæi, bufones, araneæ &c. illius cõfricatione omnes affectus ſubſidunt ac diſcutiuntur. Inſuper & ſcorpios interimit, aliaſq; venenatas beſtias conficit, aut ſaltem inſigniter lædit. Inſita eſt enim illi latens quoddã virus ac venenoſa qualitas, quam partim à dentium ſordibus atque vligine, partim ex humoribus vitioſis conſequitur. *Lemnius.*

Eſt mihi remedium pro Tenaſmo adeò probatum, vt confitear hyeme quadam fortaſſe mille hominum, qui endemiali ferè morbo hic lugebant perſanaſſe quàm citiſſimè. Syrupum ex baccis ſpinæ ceruinæ, ſiue infectoriæ Aramatorio parari iuſſeram. Hæ in fine Octobris, cũ benè maturuerint, colliguntur, expreſſoque ſucco cum melle vel zuccaro ad formam ſyrupi ducitur, additurque in fine maſticis, vel zinziberis, aniſi vel cinamomi ad drach.j. vel in maiori doſi, ſi libuerit. Datur hic Syrupus ab vnc.j. vſque ad duas cum pauco vino dilutus, abſtemijs datur cum aqua cinamomi: epoto cibatur æger, parcè tamẽ, & ieiuno ſtomacho, præcipiturque ne dormiat. Equidem vna die

ſana-

(Handwritten marginal notes: impetigo. galle, gratelle — virulentus venimeux — vligo. naturelle moiteur de la terre — tenasmus. i. grand envie d'aller a la selle sans ou auec peu d'effect on l'appelle expressions ou espreintes — impetigo galle, gratelle seu volage)

ſanatur æger , ſoluitur enim aluus abſque moleſtia; & excretis ſeroſis, viſcidiſque humoribus ſolo hoc præſidio integrè liberatur. *I.C. Baricellus.*

Cornices & noctuæ ſe ferre non poſſunt. *Plinius lib.* 11. *cap.* 74.

Allio cũ Magnete tanta eſt diſcordia, vt ſi eo confricetur, vim omnẽ trahendi deponat, aut imbecilliorẽ reddat: adeò vt à ſe ferrum abigat, tantum abeſt, vt ad ſe rapiat. Remediũ eſt, purpura illum detergere, aut arietino ſanguine immergere. *Mizaldus.*

Atramẽtum quomodo cõficiatur. In libram & ſemis aquæ pluuialis vnciæ tres gallæ criſpæ & in fruſta piſtillo cõfractæ infundantur, in ſole per duos dies, inde addãtur calchanti ſplendentis ac benè colorati tenuiſſimè pulueriʒati vnciæ duæ & ligno ficus optimè miſceantur, demum addantur lachrymæ Arabicæ ſplendidæ & corticum malorũ punicorum ſingulorum vncia vna, ſed cortices integri ſeu fruſta iniici debent; lachryma autem in puluerem redacta: coquantur poſt vnam diem , ſic vt ſolum ferueant momento & lento igne, inde colentur ſeruenturque vaſe plumbeo. Si dilutius euadat & diffluat nimis, lachrymæ aliquid, ſi corpulentius lixiuij addatur. *Cardanus de rerum varietate lib.* 13.

In alio animali par opus libidinis nõ

reperias quàm in perdice. Si contra mares steterint fœminæ, aura ab his flāte, præstantes fiunt. Hiantes autem exerta lingua per id tempus æstuant, concipiuntq; superuolantium afflatu, sæpe voce tantùm audita masculi. *Plinius lib.* 10 *cap.* 33.

Ferulæ iumentis omnibus præterquam Asino, præsentaneum sunt in ipso pabulo venenum. *Plinius lib.* 24. *cap.* 2.

Cum quadā die apud amicos aliquot commorarer, ecce vnus ex ijs in superiori labro à fuco animali vulneratur: intumuit vulnus cum magno patientis dolore: amici videbant. Ego, qui alias morsus hos curasse recordabar; quare confestim, vt nonnullas muscas seruus meus caperet iussi, quas contritas, dum super morsum imposuisset, breui dolor sedatus est, tumorque cum maxima patientis lætitia, aliorumque admiratione detumuit. *I. C. Baricellus.*

Aduersus improbitatē alitū semina sparsa depascētium, coctū allium (ne renasci possit) illis proiectum, mirandum in modū illis prodesse traditur. Nam quæ deuorabunt aues, manu capientur. *Mizaldus.*

Hedera arboribus omnibus & satis est inimica, & maximè candida: nam eas necat, omnemque succum earum absorbēdo, tanta crassitudine augetur, vt ipsa arbor fiat. *Plinius lib.* 16. *c.* 34.

Qui

Quidam amicus meus, cum in Hypochondrijs vlcera formicalia prauaq; quę à nonnullis vermes dicuntur, paſſus eſſet, ſanitatem, poſt multa à doctiſſimis medicis tentata remedia, acquirere non potuit. Vltimò incidit in empiricum chirurgum, qui paucorum dierum ſpatio, ita hominem perſanauit. Abluebat primò vlcera albo vino, tum ex patellis marinis puluerem, ſiue cinerem ex corticibus (exemptis interioribus) conſpergebat, vltimo herba marina vlcera cooperiebat, faſciaque premebat, ſemel in die hoc vſus remedio viginti dierum ſpatio æger conualuit; amicus arcanum procurauit mihique fideliter communicauit. *I. C. Baricellus.*

Antimonij in vitrum reductio, eiuſque vires in medicina. Vitri ſtibium quod in longis & difficillimis morbis propinatur, in epilepſia ſcilicet, melancholia, podagra, elephanticis, reſolutione, in febribus quotidianis, tertianis & quartanis, peſtilentia correptis, venenatis, hydropicis, cæphaleis, ictericis & ſimilibus, robuſtis tamen corporibus ita præparatur. Stibium quod ex auri fodinis colligitur, in puluerem tenuiſſimum contũditur teriturque & ſupra ignẽ in fictilio, rude ferrea, aut cochleari continuò agitando vritur, vſque dum omnis humor, ac fumus euaneſcat, quod in ſex aut

octo horarum ſpatio expeditur: deinde calx conteritur, catilloque impoſita, in fornacem inter ardentes carbones collocatur, & igne luculentiſſimo vrgetur, dum liqueſcat piſcis inſtar, poſtea ſuper marmor funditur, atque ſic ex Stibij vncijs duodecim, vitri ipſius hyacinthi modo pellucidi vncias quinque colliges. *Andernacus comment.2. Dialog.17.de nou.& vet.med.*

Serpentes capitali odio Fraxinũ arborem proſequuntur: adeò vt ne matutinas quidem, occidentaleſue vmbras eius, quàm ſunt longiſſimè, ſerpens attingat, ſed procul admodum fugiat. Quin experti prodimus, quod ſi gyro ex ea fronde claudantur ignis & ſerpens, in ignem potius, quam Fraxinum ſtatim fugiet ille, & excurret. *Plinius lib.16.cap.13.*

Licet cicuta inter frigida connumeretur venena, præcipuè quæ in aquis & lacubus inuenitur, furoris tamen vterini, ſiue Satyriaſis remedium eſt. Hic affectus Veneris eſt immoderatus appetitus, cum vteri ardore, & delirio. Narrat D. Baſilius quaſdam vidiſſe fœminas, quæ Cicutæ potione rabioſas cupiditates extinxerunt, 5.*Homi.ſup. Hexaemeron.* Et Athenienſes ſacerdotes cicutæ vſu, Libidinis incendia extingunt. *I.C.Baricellus.*

Salubre eſt vnius generis cibo vti.

Nego-

Negotium enim faceſſunt ventriculo diuerſarum qualitatum alimenta, cùm aliud properantius, aliud tardius in habitum corporis rapiatur. *Anonymus.*

Non leue à Medicis præſagium à pediculis in grauibus hominum valetudinibus ſumitur. Hi profectò in morituris, quãdo adeò intenſa eſt humorum corruptela, vt calor innatus reſoluatur, vel putreſcat, circa ventriculi regionem, vel ſub mento, vbi maior eſt caliditas congregantur, parteſque extremas tanquam calore proprio orbatas derelinquunt. Quod calorem proprium penitus exſolui cognouerint, ab infirmi corpore mira celeritate longius abeſſe conſpiciuntur. *Lemnius.*

Magnum à mori germinatione capitur præſagium; morus enim ideò à Theophraſto prudentiſſima vocatur, quia omnium nouiſſimè germinat, & à pruinis non tangitur: idcirco fructus, & vineæ à mori germinatione à pruinis liberi ſunt. Ea tamen quando à pruina lædi contingit (ſiquidem læſam in Ægypto vt in Pſalm. 77. legimus, Moyſis tempore proditur fuiſſe) cœli maximam arguit intemperiem, & proinde fructuum, vinearumque interitum declarat. At maius ſub vlmo & perſico præſagium capimus, quippe vlmi & perſici folia, præter tempus decidentia, peſtem

in omni iumentorũ & pecuino genere præsagiunt. *Cardanus*.

Cardui mirum in modum patent assiduis talparum iniurijs: crebroq; horum animaliũ defossu, sæpè ruinas cardueta sentiunt. Sunt qui foramina earum rubrica, & succo syluestris cucumeris impleant. Alij cauernas aperiunt, vt solis admissu territæ, perfugiant. *Mizaldus*.

Odor extinctæ lucernæ grauis, adeò prægnantibus infestus esse percipitur, vt in abortum faciliter condueat. Id asseruit Aristoles 8. *de hist. animal. cap.* 24. Profectò malus odor si prægnantium corpora ingreditur, quia fœtus imbecillis est, & à quolibet alteratur, facili negotio inficitur eius caro tenerrima, & spiritus, vnde abort⁹ sequitur. At non semel extinctæ lucernæ fœtor perniciem quoque hominibus attulit, vt carbones in cameris testudinatis facere accensi consueuerunt. Duos monachos retulit Petrus Forestus in obseruat. medicin. cum noctu cellam ceruisiariam intrarent, vt fœcem ebullientem exportarent (forte candela extincta) cum exitum non inuenirent, suffocatos fuisse, ac mane mortuos fuisse inuentos. *I. C. Baricellus*.

Tanta est virgulæ ex Corylo cũ metallicis sympatheia, quod si recta per mon-

tes, & loca in quibus ſunt fodinæ, & latent metalla deferatur, illico flectatur in tranſitu, alibi recta ſtet. *Hæc apud Georg. Agricolam in libro de foſſilibus & metallicis. Adhæc apud Munſterum in Geographia.*

Cohæreſcere carnes tradunt, ſi cum centaurio maiore coquantur: ad hæc cum ſymphito. Et Galgalus auis ſi ſpectetur, regium morbum curare traditur. *Mizaldus.*

Magnes ferrum amat, & illud ad ſuum amplexum trahit, atque allicit. *Plinius lib.* 29.

Heliotropium & Cichorium ſolem amant: nam cum illo etiam nubilo die circumaguntur: noctu velut illius deſiderio, florem contrahunt. *Plinius lib.* 22. *cap.* 21.

Ocymum mulieribus infenſiſſimum cenſetur: tanta antipathiæ vi, vt ſi pultario inſcia muliere obijciatur obſonijs, niſi amoto nuſquam manum admoueat. *Cælius Rodig. lib.* 15. *cap.* 25.

Ariſtolachia ſupra focum ſuſpenſa, ſerpentes fugat, ſpicula & ſurculos corpori infixos citò deijcit, ac ſuffitus ſui nitore ſubditis carbonibus, febricitantem liberat. *Mizaldus.*

suffitus parfumement parfum

Panis in quo lolium fuerit, ſtuporem quendam ac veluti temulentiam eſitãtibus parit cum ſomno inexpugnabili. Id Gallenus aſſeruit lib. 1. de alimen. facult. Etenim

(inquit) cum anni conſtitutio praua aliquando fuiſſet, lolium tritico affatim innaſci contigit, quod paucos eſſe tritici prouẽtus, ſtatim quidem multis caput dolore cœpit, ineunte æſtate in cute multorum, qui comederãt, vlcera & alia ſymptomata ſunt ſubſecuta, quæ ſuccorum prauitatem indicabunt. Lolij tamen nocumento acetum eſſe præſentaneũ remedium indicatur. Quare tùm à tritico, tùm ab ab alijs ſeminibus cerealibus diligenter lolium ſeparandum eſt. *I. C. Baricellus.*

Mirabilis eſt herbæ Scorpiodis in Scorpiones potentia; illi quidem huius tactu, ex occulta diſcordia exanimantur & intermoriuntur, tãtam inter eos anthiphatiam natura indidit. At quod mirabilius eſt, exanimati ſcorpiones, ſi Hellebori albi radice tanguntur, ad vitam reuocantur. Propterea Scorpiodes, ſcorpionum ictibus impoſita feliciter & citiſſimè illorũ virus mortificat vlcuſque perſanat, cuius præſentanea in illos virtute à Scorpione nomen ſumpſit, & ſcorpiodes dicta eſt. *I. C. Baricellus.*

Lactuca in acetarijs frequentius aſſumpta, niſi erucam ac naſturtium, tũ quæ Ptarmicæ prorſus affinis Dragon vt vulgò dicitur, admiſceas oculis officit; ac caliginem infert: incraſſat enim denſatque ſpiritus

tus viſorios, atque humorem cryſtallinum turbidum efficit. *Lemnius.*

Lactuca illum præbet vſum, vt ante omnē cibum in venas delata, ſanguinis feruorem reprimat, atq; hepatis cordiſq; calidum intemperiem mitiget, adeò vt immodicus eius vſus venerem coërceat, ac concumbendi deſiderium extinguat. Quamobrem affluentius ijs præſcribenda, qui cœlibatui addicti ſunt, ac pudicitiam illæſam tueri cupiunt, quò prurire vtique deſinant: ijs verò qui matrimonij capiſtris ſunt alligati, non prorſus reſpuendus eſt eius vſus, quum cerebrum illorum aliquando ex immoderata venere contingat ſicceſcere. Verum calorificis herbis, retundi debet eius frigiditas, ne ſemen genitale plus ſatis diluantur, atq; ad progignendos liberos fiat inefficax, parumq́; idoneum. *Idem Lemuius.*

Perpendiculum temperati magnete ferri in nauigatoria pyxide in diſtantia incredibili, ad eas partes ſeſe ſemper conuertit, quæ ad arcton ſpectant. *Hiero. Fracaſtor.*

Magnam natura bubulo ſtercori dolorem colicum ſanandi indidit efficaciam: quippe apud ſcriptores legi, & à fide dignis audiuiſſe viris aſſerit Geſnerus, illius potu complures ruſticos fuiſſe liberatos: qui enim ſtercus aridum in iuſculo bibit, ſtatim ſanatur. Hinc apud multos mos ortus eſt, vt

nonnulli non modo ipſum excrementum aridum, verum recens & expreſſum iuſculis ebibant & melius habeāt. *I. C. Baricellus.*

Pulices nulla re magis arcentur, quā munditie: verrere ſæpè cubiculum, mutare lintea, lectis vti penſilibus: goſſipium candidum per lectum ſpargere: nam eo veluti reti capiuntur: congregari ferunt illos pinguedine herinacei. Vaſis quoq; patulis aqua plenis, in ſolo diſpoſitis capiuntur: fugantur decocto tribuli marini, ſparſo per pauimentum, melius colocynthidæ, aut oleandri. *Cardanus.*

Oſcitante vno, alter oſcitat pariter, niſi aduerterit: & meiente quopiam, alius etiam ad meiendum proritatur. *Hieron. Fracaſtorius.*

Naturalis Magiæ profeſſores verbenam (ſole Ariete peragente) collectam granisque pæoniæ ſociatam, contritam, & ex albo vino hauſtam percolato, epilepticos inſtar miraculi ſanare prodidere. Hoc ex Hermete traditur. Non minor eſt eiuſdem radicis efficacia, quippe collo eius appenſa, qui ſtrumas patitur, mirum ac inſperatum adfert præſidium. Referunt Aſtrologi hanc Veneri eſſe dicatam, ſtrumaſq; delere, quod veneri ancilletur, quæ collo præeſt, propter Taurum eius domicilium. *ex Durante in Herbar.*

Mira est vis Bardanæ maioris: quæ personatium dicitur in mulieris vterum, magnaq; est cum illo eius sympathia, quippe illius foliũ summo capite gestatum matricem sursum tollit, sub planta pedis deorsum. Propterea huiusmodi præsidium aduersus matricis suffocationes, præcipitationesque præstantissimum a multis iudicatur. *Mizaldus.*

Quoniam acerba edente, saliua alteri in os prosilit: similiter dum raditur ferrũ, aut res alia quæuis stridorem facit, quædam inæqualitas cùm in toto corpore, tum etiam in dentibus percipi solet. *Hierony. Fracastorius.*

Vt literas aurei coloris habere possimus, auri folia quot libuerit, eligemus, quibus mellis tres vel quatuor guttas miscebimus, hæc insimul conterenda sunt ad vnguenti spissitudinem, in osseoque vasculo conseruanda. Cum autem ad scribendum huiusmodi mistura vti volumus, aquæ gemmatæ aliquid addendum est, vt operi liquor aptior existat: ita profectò literas habebimus incomparabiles. *Ex Alex. Pedemontano.*

Ne vestigia aliqua post variolas aut morbillos in facie, corporeque hominum remaneant, expertissimum apud me, quod in publicam vtilitatem placuit aperire, est præsidium, quo vtentes pueri puellęque de-

Nota

formitate, quæ ab ijs relinquitur, carebunt. Cum variolæ, siue morbilli maturuerint, & in medio oculi quasi albicātes emicuerint, quod est signum bonæ maturationis, omni die bis oleo amygdalarum dulcium recens expresso pluma leuiter oblinire oportet, donec exsiccentur, ita profectò, vt sæpius experiri libuit, vestigia non remanebunt; & quod melius est, oleum hoc excoriatas variolas mirabiliter ad sanitatem perducit. *I. C. Baricellus.*

Anisum in puluino suspensum, vt dormientes olfaciant, insomnia leuat: adhæc dolores capitis suffitum naribus. Quin & Pythagoras negat tenentes corripi morbo comitiali: ideò quam plurimum domi serendum præcipit: additque olfactantes facilius parere. *Mizaldus.*

Papillus, qui in Tauri vesica mense Maio, reperitur, magnam habet in consumendo calculo efficaciam. Hic si vino imponitur, mutato paululum sapore, colorem croceum contrahit. De hoc vino quotidie recens effuso, donec lapis vino impositus omnino consumptus sit, à calculo infirmos bibere oportet. Hac enim ratione, non modo calculum comminui, verùm etiam consumi multos experientia docuit. *Ex Quercitano.*

Ætites lapis, hoc est Aquilaris, gra-

uidis

uidis admotus vmbilico fœtum continet, ac ſurſum trahit: coxis appoſitus, deorſum mouet, atq; partum facilem efficit: quã vim etiam habere tradunt, radicem Ariſtolochiæ rotundæ, adhæc cyclamini, & verum Magnetem. *Hier. Fracaſtorius.* ſarracine·

Hydrargyri ſuffumigium ſæpe aurifabris capillorum defluuium inducere conſueuit, aliaq; ſymptomata, quę tales in mortis pericula conducunt. Pro huius immanitate, vti in potum caprino lacte, illudq; cum pane comedere, ſingulare & expertum eſt remedium: quippe ſedata illius vi, atq; potentia, à veneni morte liberantur ægri, & pili iterum naſcuntur. *Ex Foreſto in obſer medi.* vif argent

Ad barbã tingendã expertum: accipe aquæ ſeparationis vnciæ dimidium, & in ea diſſolue argenti puri vnciæ partẽ quartã, his adde aquæ roſaceæ vncias ſex & ablue: hæc ſine periculo eſt, etiamſi carnem tangat, non tamẽ nigro, ſed fuluo colore tingit. Lithargyrium, ſed tamen quod potius auri colorẽ refert, cum cinere roboris, non ſolum capillos, ſed quadrupedum pilos tingit. *Cardan⁹.*

Tria ab Horatio Augenio in ſuis cõſuet. pro epilepſia curãda magnę efficacię proponũtur remedia. Primo loco carbo eſt ille odoratus, qui ſub Artimiſię radicib. ęſtiuo ſolſtitio colligitur, qui per dies 40. infirmis, aliquo cõuenięti liquore exhibẽdus eſt manè,

ieiuno ſtomacho: cõfiteor ego cuidam epileptico huiuſmodi remedium admodũ profuiſſe. Secundo loco, Muſtelę ſanguis adducitur, hic præſtantiſſimus pro epilepſia ſananda cenſetur, autoris experimento, vidit enim ſanatum epilepticum ſupra 25. annũ, ſolo huius ſanguinis vſu potati ſcilicet ſtatim atq; è venis exijt ad vnc. ij. cũ vna aceti. Vltimo loco teſticuli Apri, aut ſaltem verris ſiue ſuis domeſtici venere vtentis, & teſticuli galli exiccati in furno mirabiles cenſentur, hi in puluerem tenuiſſimè redacti, cum zuccaro miſcentur, & decem continuis diebus epilepticis ad drach. tres, cum aqua betonicæ felici cum ſucceſſu exhibent. *I. C. Baricel.*

Eſt Magnetis genus quod ferrũ abigit: ex quo cultelli ita præparari ſolent, vt alter ferrum ad ſe trahat, alter verò pellat. *Fracaſtorius.*

Vites quæ ſecundũ ædificia ſunt à ſoricibus & muribus infeſtantur: id ne fiat, cũ luna Leonis, Sagittarij, Scorpionis, vel Tauri hoſpitiũ tenet, noctu putantur. *Mizaldus.*

In ſalis cumulũ ſi Raphani multi ſepeliantur, illũ totum in aqueam ſalſuginẽ citò ac facilè redigunt. Vnde multi aduerſus calculũ aquã raphani è vino albo, & therebintina, ſalubriter propinant. *Hiero. Fracaſtori9.*

Conuulſio illa quæ à flatu in muſculis & mẽbris oritur cũ dolore, (hanc noſtri raphum,

phū, siue grāphū vocāt) nodis ligneis à visco, quod in quercubus adnascitur, vt experientia comprobauit, sanari consueuit. Colligitur viscum æstiuo tempore , sole in Leonis sidere commorante, tunc enim perfectionis complementum adeptum est. Debent nodi lignei illius loco patienti superponi , vt statim flatus diffugiat, pingui sicco, tenuique præditum est lignum , aut occulta ratione, vt voluit Cardanus. Confiteor, multis tale præsidium ad præseruationem me consuluisse, votumque fuisse assecutos sola istius ligni suspensione. *I.C. Baricellus.*

Admirandum remedium ad strumas. Cupressi folia neque teneriora neque duriora in puluerem comminues , tortiuo vino consperges, atque ita volutabis , dum in fœcis corpus coëant; inde struma vel ramex inducitur, tertio primùm die soluitur medicamentum , contractum locum inuenies, qui digitis exprimi debet : rursus ad tres dies idem pharmacum applicabis, eodemque modo solues, & exprimes, septimo die , vel ad summum nono, strumæ velut miraculo abolebuntur. Valet etiam ad ramicem gutturis, parotidas , omnem duritiem & ædemata. *Hollerius de instit. Chirurg.*

Ignoti & valde insueti soni, sicuti etiam assueti, sed vehementes, hororem faciunt, ac trepidationem ex insperato addu-

cunt:

cunt: & quandoq; Epilepticas acceſſiones excitant, atque Apoplexiam. *Fracaſtorius.*

Pilos capilloſque citra iniuriam naſci faciunt ſtelliones ſeu lacertæ, oleoque vitellorum ouorum puluere immixto, & loco illito. Eſt genus ſtellionum in Memphiticis pyramidibus, quòd cùm muſcis veſcatur (vt ferunt) ſtercus ædit ornandis mulieribus multis modis accommodatum, & ob id à Turcis expetitum valde. *Cardanus.*

Aperiam electuarium illud mirabile, quo ego in doloribus iuncturarum & in arthritide cum felici ſucceſſu non ſemel vſus ſum. Huius auctor Petrus Baierus eſt. Confiteor ſubito ſoluere ſine moleſtia, ignitum calorem extinguere, & membra patientis adeò contemperare, vt multos viderim, eadē die, qua pharmacum acceperant, à ſella ad locum proprium ſine alterius auxilio languentes redire. Capiuntur Hermodactylorum alborum à cortice ſuperiori mundatorum, & Diagridij an. drach. ij. coſti, cymini, zinziberis, cariophyllorum an. drach. j. trita & cribellata conficiantur cum ſyrupo facto ex melle, & vino albo inuicem coctis, donec ſyrupi benè cocti formam recipiant. Doſis eſt à drach. ij. ad drach. iiij. ſecundum infirmi tolerantiam. Autor confitetur ter ab huiuſmodi doloribus fuiſſe correptum, & ſemper in aurora huius electuarij

(quod

(quod Diacostum vocat) vnc. sem. accepisse, & in vna die conualuisse. Ego diagridium in minori dosi exhibui semper, & benè successit. *I.C. Baricellus.*

Specula in quibus mensibus laborantes mulieres inspectãt, spurcitia, situ, squallore ac maculis obducuntur *H. Fracastorius.*

Imposito oleo in charta, ita vt contineat : subiectus ignis oleum calefacit, chartam minimè. *Idem.*

Quæ rugas tollũt, vitis alba, vel brionia, cum pingui fico tusa, inde illinita: oportet autem superambulare ab vnctione, vsque ad sudorem. Aliter vitis alba cutim exulcerat, brionia autem pruritum mouet. *Cardanus.*

Nullam sympathiam admirabiliorem, & penè dixerim diuiniorem reperio, ea quæ lunæ est cum Oceano. Nam quoties illa supra exortiuum Horizontem cuiuscunq; loci ascendit, donec ad mediũ cœlum peruentũ sit, huius aquas è centro longè supra circumferentiam, ceu fune quodam ductario, secum ascendere allicit: hinc descendens ad occiduum vsq; finitorem supra terram, itidem descẽdere, ac intra sua litera solito modo sese recipere actutum stimulat, ac facilè impetrat. Quod ad subterraneum Horizontem (qui nonnullis supra terram est) accommodare etiam tibi licebit. *Mizaldus.*

Demorsi

Demorſi à Cane rabido non ſolùm aquas metuunt, ſed etiam corpora omnia diaphana, & pellucida. *Fracaſtorius.*

Quæ dentes à maculis purgant, præter cætera eſt aqua diſtillationis limunij. Ea enim admota detergit. Quinimò & ſuccus ipſe, ſi quid aliud. Sed potentior aqua, quia acrior & tenuior, modo diſtillatione vires auxerit, non amiſerit, *Cardanus.*

Auſtrinis flatibus vermes in vitibus naſcuntur. Has ne formica aſcendat, lupinus cum fracibus tritus: eoq; ima linea circumlinitur. Ne rubigo vexet, palearum fumus, cùm intempeſtiuum vrget frigus, verno tempore prohibet. *Mizaldus.*

Si quis à cane rubido aliàs morſus, iacuerit ſub Sorbo arbore, in rabiem rurſus verti ſolet. *Fracaſtorius.*

Qui marinos piſces curſorijs equis in vrbes vehunt, ſepes leucocanthis florentibus armatas, cane peius & angue deuitant. Quòd ipſas piſcium ſarcinas hinc repente labefactari, de experientia intelligant. *Mizaldus.*

Quæ glabrum locum reddunt & maximè ſtatim natis, aurum ex igne candens admotum ſæpius, inde roſaceo illinatur. Exurit enim aurum, & ob id quaſi cicatricem inducit: cicatrix autem pilorum expers: repetere autem iuuat, & leuiter per ſum-

ſummam cutem aurum deducere, & vt purum ſit curare omnino. *Cardanus.*

Quanti ſit periculi, herbæ Baſilicæ frequens odoratus plenus, ex Hollerij exacta obſeruatione perſpicitur. Quidam enim Italus ex continuo eius odoratu in vehementes & longos incidit dolores capitis ex ſcorpione in cerebro enato, cuius cauſa mors conſequuta eſt. Ratio apud aliquot huius euentus ea potiſſima eſt, quod Baſilici folia ſub teſta fictili putrefacta in ſcorpiones mutentur, ex quo arguunt, frequentem odoratum animalcula quædam Scorpionum inſtar, in cerebro generare. Vtcũq; tamẽ ſit, Baſilici odoratum ad ſyncopen, & animi hominum deliquia, mirum in modum prodeſſe compertũ eſt. *I.C. Baricellus.*

Vina quæ à perſonante tonitru turbari periclitantur, ſuperpoſito ferro, aut lauri ramo immunia euadunt: quod ænopolæ ſuo ſummo bono experiuntur. *Mizaldus.*

Quandocunque animal (etiamſi homo fuerit) ob receptum vulnus, vel aliter, vermibus ſcatebit: ſi ex pilis eius, vel lana, ante Solis exortum, in apertum corticẽ immiſeris eius arboris quam noſtrates Borbonij patria lingua *Tremble* vocitant (populi nigræ ſpecies eſt medicis) & aliquot dies perſeueraueris, videbis miraculo quodam

vermes

vermes decidere, emori vel aliò immigrare. Sunt qui Betulæ id etiam aſcribunt, quod tu experiundo condiſcere poteris. *Fracaſtorius.*

Aprinam ſalitam, quo tempore Apri in furias veneremque ruunt, colorem ac ſaporem mutare, de obſeruatione tam eſt probatum, quam à multis celebratum. *Idem.*

Vinum ex ambientis aëris qualitate aceſcere, æſtiui menſes nobis cõmonſtrant. Quocirca in ſpecus ſubterraneos, penitiſſimaque loca recondi debet, atque accuratè obturari. Quod ſi commoditas deſit, laridi carniſque ſuillæ ſalitæ ſeſquilibram, aut pro dolij amplitudine maiorem lino obuolutam dolio immittas, ſic vt dum vinum depromis, ſemper id deſilire patiaris ad fundum vſque dum vas exhauſtũ ſit: vinum nec degenerabit nec vappeſcet. Omnia enim quæ illi vitij aliquid eſſent allatura, in ſuillam incumbunt. Interim arctiſſimè concludi dolij orificium debet, ne quid aëris ſubeat, ac ſacculo vel ſale oppleto, vel humenti ſabulo muniri. Sic enim nec vapeſcet vinum nec acorem contrahet. *Lemnius.*

Inter ſelecta, & quæ dolores capitis à cauſa calida auferunt remedia, Torpedo piſcis eſt. Ait enim Celſus, huius piſcis capiti aſſuratum, adeò tales dolores remoueri,

vt in posterum redire nequeant. Causa torpedinis qualitas est, ipsa enim viua in mari, & procul & à longinquo, vel si hasta virgaue attingatur, torporē piscatoris membris inducere dicitur, *vt Plinius lib. 23. prodidit.* Idcirco (vt Malthiolus dixit) mirum non est huiusmodi affectus, quodam stupore feliciter sola confricatione sanare. *I. C. Baricellus.*

Materia è syluis cæsa cum luna crescens lumine aucta est, breui tempore marcet, ac carie conficitur. Cæsa verò vbi decrescens exiguo est lumine, diutius perennat, ac vegetior euadit. Idem de vitium putatione, vindemia, cerealibus, & fructuum collectione tibi & existimare, coniectare licebit. *Fracastorius.*

Oliua in vites in sita, vtriusque arboboris fructum refert, Græcis celeos taphylon ab vtroque parente nuncupatum. Et palumbes, graculi, merulæ, lauri folio fastidium annuum purgant. *Mizaldus.*

Lupi caput in columbario suspensum, Viuerras, Mustelas, & noxia omnia animalia procul arcet ac abigit. *Cardanus.*

Viuerra
furet
mustella
belette

Arnaldus Villanoua pro secreto habuit in febre quartana exhibere taxi barbassi radicē ex vino per duas horas ante accessionem, & non minus os de corde Cerui

ad

ad drach. itidem ex vino alterato dictamo cretico, saluia, chamedrio, chamæpithio, & myrrha ex succo absynthij ad scrup. ij. castorei etiam & bituminis an. scrup. ij. ex vino. Alij, vt quartanam excutiant, infirmis dum in accessione affliguntur, timorem ex improuiso incutiunt. Propterea Titus Liuius scripsit, Quintum Fabium Maximum in conflictu febre quarta fuisse liberatum. *I.C. Baricellus.*

Magna est humidorũ cum luna sympathia: quod omnium maxime in Cancrorum & Ostreorum pulpa, medallaq; ossium sese prodit ac manifestat. Nam lumine crescente lunæ, crescunt illa, turgentque ac replentur. Decrescente verò inaniuntur, decrescunt ac minuuntur. *Mizaldus.*

Cerui pudendum derasum, & cum stillatitia aqua Cardui benedicti potum, pleuriticos maximopere iuuat. *Cardanus.*

Intra præstantissima auxilia contra venena, terra Lemnia connumeratur, quæ ad Cantharides, & ad Leporem marinum adeò præstat, vt quadam proprietare deuorata, omne venenum per vomitum expellat, quemadmodum multis experimentis hæc omnia didicisse Galenus confitetur. *I. C. Baricellus.*

Dicitur lumaca, lapidem nobilissimæ virtutis in capite retinere, quem si

tritum

tritum ſtrangurioſis liquore aliquo conue-nienti dederis, vrinam ſoluere, breuiterque ſanare comprobatum eſt. At mirabilem habet in grauida muliere conſenſum : quippe appenſam ſi ſecum portauerit, in abortum minimè incidet, ſin autem tempore partus tritam, cum vino capiet, multa facilitate pariet : ſiquidem lapides hi meatus mirè aperiunt, ex quibus fœtui facilior datur tranſitus. *Ex Iſidoro.*

Arietis cornu iuxta Ficum ſepultum, eam adiuuat ad celerem fructum, & maturationem præcocem. *Cardanus.*

Fœniculum ſerpentibus gratiſſimum eſt: nam guſtato illo ſenectam exuunt, oculorumque acumen ſucco eius reficiunt. vnde intellectum eſt hominum quoque caliginem eo præcipuè leuari. *Mizaldus.* vide 152 141

Aſtrologorum ex multa obſeruantia decretum eſt, cũ Saturnus, Iupiter & Mars, vel iſtorum duo ſimul iuncti fuerint ſub humano ſigno, concurrenti ad eam ſtellarum figuram venenoſorum animalium aſpectũ, morbos peſtilentes hominibus eſſe futuros. Ex diuerſitate autem zodiaci brutis quandoque contagium appariturum, ſaluis hominibus. Vnde notat Auguſtinus Sueſſanus in comment. Apotel. Ptolomæi, non multis ante annis obſeruaſſe, cum Saturni, Martiſque coniunctio in Tauro horrendiſſima

frigora excitasset, magnam bobus calamitatem euenisse. Oues autem licet imbecilliores, superstites tamen fuisse. In Boues tamen pestis illa desæuit propter cœleste signũ, ad quod terrestris bos refertur. Quæ si fuisset in Ariete, forsitan in Oues grassata esset. Anno 1479. in signo humano Martis & Saturni fuit coniunctio (testimonio Ficini) & pestis crudelissima homines inuasit, vt & prius anno 1408. & omnium pessima anno 1345. ex trium Planetarum insimul coniunctione. *I. C. Baricellus.*

Cantharidum vis, & venenum in sanguine purgando per vrinã, apud paucos incognita est, quippe in potu exceptas nõ modò vesicã exulcerare, verũ atq; suffocationes & horrẽda symptomata inducere comprobatũ est. Imo tantæ feritatis sunt, vt quandoque & tactu, vel olfactu hæc efficiant, vt cuidam chirurgo Mediolani successit, qui bis sanguinis profluuio correptus fuit per vrinam, solum portando cauterium ex cantharidibus in Byrsa. *Ex Michaele Pascalio.*

Nux pullo inclusa, illum celerius coqui facit: & calcar pedis dextri Galli gestatum, victores efficit. *Cardanus.*

Scorpiones moriuntur tactu radicis herbæ quam scorpium dicunt: reuiuiscunt, si candido linantur helleboro. Eadem radix omnẽ quadrupedem exanimat genitalibus imposita. *Mizaldus.*

Manus ſucco Radiculæ ſeu Raphani diligenter inunctæ, faciunt vt tutò tractari poſſint ſerpentes. *Cardanus.*

Multis experimentis comprobatum audio, bituminis ſuffitu, mulieres ab vtero ſuffocatas, ſubitò ad ſanitatem reuocari, & quod mirabilius eſt, hyſtericum extemplo bitumen acceſſionem corrigere, ſiue crudū, ſiue vſtum mulierum naribus admoueatur. Propterea mulieres, quæ tali paſſioni obnoxiæ ſunt lana exceptum, ſiue goſſipio collo appenſum, Medicorum conſilio (*Mizaldo autore*) in nonnullis locis habent, vt crebro olfactu paroxyſmū arceant. *I. C. Baricellus.*

Inter metallica omnia, hydrargyro excellētius vix inueniri aliud creditur, cum ad infinita tale accommodetur. Solerti induſtria opus eſt, vt vbi eius mineræ ſit ſcaturigo conſectores deprehendant: propterea menſibus Aprilis, & Maij ſub aurora, ſereno autem cœlo aſcendentes vapores in montibus ſpectant: ſi enim inſtar nebulæ fuerint, non altius ſe attollentis, ſed humillimæ ac quaſi terræ adhærentis, argenti viui ibi ſedem eſſe aſſequantur. *Cardanus.*

Filix lecto ſuperſtrata ad puluinar aut alibi, cimices veluti obſides retinet. Et Helleborus albus felli bubulo remixtus facit, vt aues manu capiantur, quæ grana in hac miſcellanea macerata guſta-

uerint: nam veluti ſtupidæ humis iacebunt. *Mizaldus.*

Planta illa, quã Romani & Itali Roſmarinum dicunt, inter plantas nobiliſſima eſt, magiſque quam exiſtimetur excellens, quamuis multitudine, & frequentia vileſcat. Eſt enim ſemper virens, nulli nocens, & multis infirmitatibus inimica, maximè comitiali morbo, qui ferè dæmoniacus eſt. Radix eius cum melle purgat vlcera, torminibus medetur, & medendis ſerpẽtum ictibus cum vino bibitur. Prodeſt etiam contra morbum regium in vino cum pipere. Et tanto contra maiora mala præualet, quanto maiori gaudet tutela, & fauore cœleſti, à quo omnis virtus cõfouetur. *I. C. Baricellus.*

Fricatione cuiuſdam lapidis facillime ignem excutere poterimus. Capimus ſtyracis, calamitæ, ſulphuris, calcis viuæ, picis an. drach. iij. Camphoræ drach. j. Aſpalt. drach. iij. trita hæc ponantur in vaſe terreo optimè clauſo ad ignem, donec in lapidem conuertantur. Hic panno fricatus accenditur, ſputo verò emoritur. *ex Roſſel.*

ſciurus. eſcuri=eu.

Muſtelæ & Sciuri lentato allio dentibus, vix audent in poſterum mordere: cicureſque hoc modo fiunt. *Cardanus.*

Magnetis ſpecies eſt quædam, quam Creagum nominant: cui ſi ſtylum vel acum affrices, carnem & muſculum, imo verò cor-

pus

pus totum, abſque dolore poſſis penetrare. quod ſe expertum fuiſſe ſcribit Cardanus. *ex Mizaldo.*

Rubea tinctorum diu manibus contenta, vrinam tingit, & animalia noxia ab oleribus arcētur, aqua inſolationis dierum decem, Cancrorum, aut pagurorum. *Cardanus.*

Aurum & argentum, plumbum diligunt: & cum liquantur, plumbo immiſcentur: ſed æs plumbum refugit: & tam aurum quàm argentum odit ſtannum, aut, ſi mauis, album plumbum. *Idem.*

Plurima ſunt Naturæ beneficia, quæ beſtijs fuiſſe cōceſſa legimus. Quippe ſi beſtijs morbus accidit, natura mox antidotum indicauit. Hinc palumbes, monedulæ, merulæ, perdices, lauri folijs deguſtatis humores ſuperfluos expurgant. Lupi, Canes, Feles ſi ægrotant, vel ſi excremētorum colluuie ſtomachum, vel viſcera oppleta ſentiunt, gramina comedunt rore perfuſa, herbam frumenti, & rapiſtrum decerpunt, quibus ſtomachum, aluumq; exonerant. Columbæ, turtures, pulliq; gallinacei in morbis helioſelinum deguſtant. Teſtudines morſus ſibi inflictos cicuta perſanant. Cerui vulnerati dictāni paſtu, ſagittas excutiūt. Muſtela dum mures venatur ruta ſe munire conſueuit, vt validius eos oppugnet. Vrſi

Mandragoram quærunt in mala valetudine. Apri autem ægrotantes hedera se colligunt. Cætera verò animalia pro vitæ tutela diuersa alia retinent auxilia. *Ex Aristot. Plinio, Nipho, & alijs.*

In magna æstimatione apud multos Hellebori nigri radix habetur, ipsa enim inter carnem, & pellem iumenti à vipera demorsi inserta proculdubio sanat. Confiteor profectò subulcum quẽdam porcorum numerum igne persico siue crysi pelate pestilenti pollutum (hunc morbum vulgares, eo quod porcorum caput in excrescẽtiam magnam deuenit, appellant Capoatto) sola huius radice omnes incolumes seruasse. In porcorum auribus cultello circulum ad viuum sanguinem formabat, deinde centro ex stylo ferro perforato, radicis frustulum effingebat, ad pastumque porcos mittebat, ita equidem solo hoc auxilio, omnes (me obseruante) ad sanitatem ducti sunt. *I. C. Baricellus.*

Succinum, Gagates, Magnes, agitata atq; cõcalefacta festucas, floccos, quisquilias, ferrum violẽter ad se rapiunt. *Lemnius.*

Tanto dissidio flagrant Cancri & Erucæ, [ut] si à cornibus suspendantur illi ramis arborum in quibus irrepunt, aut nidulantur Erucæ, illicò decidant, collabantur, ac aliò immigrent. *Mizaldus.*

Vinum

Asthmaticus   asthma, difficulté
poussif   53   d'haleine.

Vinum pro sanãdo Asthmate ab Horatio Augenio viro probatissimo, quo pater eius cum fœlici semper successu vsus est, adducitur. Habet vini dulcis, quale potissimum vernacia est, nõ crassi, sed tenuis, mellicrati cocti an. lib. decem : puluer. Foliorum Tabacci exicc. in vmbra vnc. j. radicum polypodij quercini recentis, ac minutissimè concisi vnc. iij. radicem hellenij remoto meditullio, & incisarum vnc. iiij. macerentur horis 48. postea verò colentur per manicam Hippocratis vocatam, conseruetur vinum in loco frigido. Dantur vnc. vj. pro vice, singulis diebus, horis ante prandium quinque. *I.C. Baricellus.*

Filum quod semine staphis agriæ cũ oleo dissoluto fuerit madefactum, si capiti circundetur, pediculos tollit, vel occidit. *Cardanus.*

Magna est Hederæ cum aqua sympathia, & summo cum vino antipathia. Nam si potorium vasculum, ex trunco illius feceris: & ei vinum aqua dilutum infuderis: vinum per vasculi latera paulatim effluet, aqua pura intus remanente. *M. Cato, & Plinius.*

Ruta immundæ mulieris & accessum, & omnem prorsus attactum metuit: siquidem eo confestim enecatur. Cuius medulla tenera, si quis aures obturabit,

dolorem capitis ſedabit, vt Florentinus ſcripſit. Pręterea ſi eius virenti ramo aquam per domum ſparſeris, nulli culices accedent: aut ſi qui fuerint abigentur: *autor Democritus apud Caſſium Dionyſ.*

Cimex cimicis punaise, Cardanc. Fumus ignis ex quo cremantur quæ proprij ſunt generis inſecta, adhæc vermes, Cimices, Pulices &c. ab eodem illa expelluntur. *Cardanus.*

Maximoperè (vt voluit Simeon Zethus) tuberum continuatus vſus vituperatur: adeò enim homines crebro eorum vſu afficiuntur, vt epileptici, vel apopletici fiant. *I. C. Baricellus.*

Mirabilis eſt profectò oſſiculorum proprietas, quæ in Ceruorum corde reperiuntur; geſtata enim ad præſeruandum à beſtiarum venenoſarum morſibus, & ictibus maximè proſunt. In officinis tanquam præſtantiſſimum antidotum contra venenum, & febres peſtilentes, hæc oſſa conſeruantur, & cum fœlici ſucceſſu medici indies ad hæc valere experiuntur: multi tamen pro oſſe cordis ceruini, os bubulum tradunt in magnam languentium perniciem, & medicorum infamiam. *Ex Alexandro Benedicto.*

Citron. Malum citrium comeſtum, donec concoctum fuerit, hominem à ſerpentibus ſeruat immunem. Ex quo peſtilenti aëri, plurimum aduerſari traditur. Et prægnans

mulier.

pommes de coing

mulier, si crebrius cydonijs malis vescatur, filium pariet ingeniosum & industrium. *Autor Simeon in Libello cui titulus de cibariorum facultatibus.*

Centipeda, quæ per cellas vinarias repit, lotij difficultates soluit: si ex ea puluis cum iusculo, aut vino albo fuerit potus. *Mizaldus.* (lotium urine. pissat) (iusculum brouet, chaudeau, bouillon)

Multo experimento Democritus Hemicraniam, lapidis Gagatis sola ad collum appensione tolli comprobauit; scribit enim huiusmodi lapidem gestatum semper magis ponderare, quam antequam appendatur: quasi in eo quædam attrahendi in se humorem, à quo dolor in parte cranij suscitatur proprietas reperiatur. *Mercurialis.* (gagates. agate, pierre precieuse.)

Beneuenti, cum multi ignoto morbo decederent è vita, medici tandem, hoc morbo quendam mortuum incidere voluerunt, & in huius cerebro vermem rubeum breuem inuenerunt, quem cum multis medicamentis vermes occidendi vim habentibus interficere nequiuissent, frusta raphani incisa in vino maluatico vltimo decoxerunt, quo vermis occisus est, atque hoc eodem remedio deinde simili morbo, quasi epidemico affecti, omnes curabantur. *Forestus ex lib. Cornelij Roterodam.*

Si prope rosetum plantatum fuerit allium, rosis addet fragantiam. *Mizaldus.*

Non ſemel morbo acuto ægrotantibus (ſi ad ſanitatem reducuntur) è capite capillos decidere expertum eſt. His facillimè ſuccurritur huiuſmodi linimento, quo capillorum defluuium non ſolum amouetur, verùm etiam amiſſi iterum renouātur. Laudanum cum vino, & oleo roſato ad decentem vnguenti ſpiſſitudinem coquitur, quo caput vniuerſum linitur, breuique capillatum redditur. *Ex Bayro.*

Vites braſſicam abhorrent: vnde hæc ſemicocta ebrietati reſiſtit, vti etiā lactuca, ſi præſumatur. Cui tantiſper dum coquitur, ſi vinum vel pauciſſimum inſtilles, nunquam coquetur. *Berytius, & M. Varro.*

Vita longæua triplici remedio comparatur, ſiquidem parcitas cibi & potus, bonus cibus, & moderatum exercitium mortalium vitam producere valebunt. *Barthola. Moles ex D. Gregorio.*

Menta ferrum abhorreſcit, vt ruta & ocymum. Quæ ſi vulnerato fuerit exhibita, nō facile conualeſcet. Si in lac cōijciatur, & poſtea coagulum fuerit immiſſum, lac non coagulabitur: *autor Florent.*

Si allium arboris ramo ſuſpenderis, nullæ accedēt aues ad populationē fructuū: autor Democritus. Sic portulacæ & tithymalli ſucco mixto illitæ arbores, ad fructuū copiam ſuſtinendam adiuuantur. Et fabarum ſemina arborum radicibus admota, il-

Iam cogunt arescere: *Africanus & Didymus.*

Thus albissimum in pollinem attritum, & cum vino, si hyems fuerit, vel cum aqua decoctionis passularum, si æstas, epotum, in lunæ augmento oriente sole, mirum in modum memoriā augere fertur. *Ex Rusi.*

Mirabilis est nucis myristicæ, quā vocant muscatā, cū homine sympathia: si enim à viro gestatur non modò vigorē proprium conseruare, verum etiam turgere, magisque succulentam, & speciosam fieri autumant, præsertim si iuuenilis adultæque ætatis homines circumferant. *Ex Leuino Lem.*

Si quis cannabis humidæ florentes ramusculos penes se dormitur⁹ apposuerit, à culicibus non tangetur: *autor Democritus.*

Ne mustum superfunderetur, Florentin⁹ coronā ex pulegio, aut calamintha, aut origano, collis vasorū circūponebat. Et pyra syluestria in mustum inijciebat, quæ si supernatabāt, id purū erat, si mergebātur, aquā habebāt: alij de moris idē sentiunt. *Mizald⁹.*

Inter præstātissima remedia, quæ hepaticis & lienosis adhibētur primū Chamædriū locū retinet: si. n. ex aceto decocta, per plures dies exhibetur, hepaticos atq; lienosos proculdubio sanat: multis equidem experimētis cōprobatū est, tale decoctū viscera ab infarctu liberare: propterea in febrib. chronicis, eo ꝙ obstructiones mirè abigat, felici

ſucceſſu à multis ſingulari ſecreto audio vſurpari. *I.C. Baricellus.*

Deuicto, Mithridate Rege maximo, in eius arcanis Pompeius inueniſſe in peculiari commentario ipſius manu exarato cõpoſitionem antidoti dicitur. Conſtabat ex duabus nucibus ſiccis, item ficis totidem, & rutæ folijs viginti ſimul tritis, addito ſalis grano. Si aliquis hoc ieiunus aſſumeret, nullum ei venenum nociturum illa die affirmabat. *Ex Plinio.*

redimium · ver= ueine

Verbena columbis herba gratiſſima, in natali D. Ioan. mulierculæ ſe redimunt: ſed ea colligi debet in ortu Canis ante ſolis exortum, & luna non aſpiciente. *Mizaldus.*

Bryonia · vigne blanche, couleuuree, qros nauet.

Bryonia in ſedanda mulierum hyſterica paſſione, egregiam habere virtutẽ multis experimentis dicitur. Ex multis obſeruationibus in quadam muliere, quæ quotidie ferè per multos annos hoc affectu laborauerat, à Matthiolo experta eſt. Hæc cum ſemel per hebdomadam, eius conſilio, ſub lecti ingreſſum, vinum album, in quo ipſius radicis vncia efferbuerat, hauſiſſet, ex illa paſſione conualuit. Ne tamen amplius in ſuffocationes deueniret vteri, per annum integrum hoc medicamẽto vſa eſt, nec morbus iterum recidiuauit. *I. C. Baricellus.*

Morus, laurus & Hedera attritu ignẽ facilè concipiunt: quod exploratorum, pa-

ſtorumque induſtria & vſus reperit : quoniam ad excutiendum ignem non ſemper lapidis occaſio eſt : teritur lignum ligno : & arido fomite excipitur ſcintilla. Sed nihil Hedera præſtantius quę teratur lauro, laurumque terat. *Mizaldus.*

Hieronymus Aquapendens in lib. 1. *de tumore præ. nat. c.* 20. exedentes herpētes teſtatur curaſſe quo ad totum corpus, ex ſero Caprino expurgatione confecta, ſæpè autem cum ſalſæ parillæ decoctione : partes affectas aquis thermalibus D. Petri lauabat, vltimo ijs fœlici cum ſucceſſu ſequens admouit ceratum. R. Succi Tabacci ſeu herbæ Reginæ vnc. iij. Ceræ citrinæ nouiſſime vnc. ij. Reſinæ pini vnc. j - Reſinæ Tyerebintinæ vnc. j. olei myrtini quantum ſufficit pro formando Cercoto. *I. C. Baricellus.*

Coralium nigrum, quod Antipallas ſiue Antipathes dicitur, in phrenitide morbo corrigendo, & ſanando perquam miram habere facultatem exiſtimatur. Hoc nigerrimi coloris eſt, & ob varietatem in magno pretio tenetur, & contra huiuſmodi affectum tanquam præſtantiſſimum remedium vſurpatur. *Ex Encelio de Gemmis lib.* 3.

Lupum ait Horus Apollo maximè lapides extimeſcere. Idcirco cum per lapidoſa ire cogitur, ſuſpenſo pede ſemper incedit. Læſus enim vel minimo lapidis ictu, vermes

gignit, à quib. tandē absumitur. Ideo insultantē cum lapide viatorem aufugit. *Mizal.*

Hirundines ad exterminandas è nidis blattas, & noxia alia animalcula, apium imponunt. Palumbes laurum. Accipitres lactucam syluestrē. Corui viticē vel aron. Vpupæ adianton. Cornices verbenacā supinā, Galerita gramen. Turdus myrtum. Perdix arundinem. Aquila callitrichum. Harpę hederam. Ardeola careon, vel vt alijs placet cancros: & Ciconiæ ob vespertiliones platani folia: *autor Zoroastres.*

Vpupa si cecinerit, antequā vites germinent, futuram vini copiā pręsagirē aiunt. Et suem, si capite ad cœlum verso portaueris, non grunnire. *Mizaldus.*

Multis experimentis obseruatū reperio, Satureiam cum florib. vino incoctam, & calentē occipiti admotā, lethargicos difficili ac pertinaci somno oppressos, ac veluti raptos excitare, & reuocare. Vt autē curę fœlicior sit exitus, huius decocti guttæ aliquot infirmi auribus instillandę sunt. *Handischus.*

Vsta murium capita, & ex melle illita: ad hæc capita apum, & muscarum, nec non stercus murium cum aceto, & viperæ pellis in puluerem redacta, insuper caput leporis vstum, & cum adipe vrsino illitum, Alopetiam curant, ac pilos mirificè regenerant. *Galenus lib. the. ad Pisonem.*

Coryda-

Corydalus seu Galerita, auicula assata, vel elixa, si assiduè edatur cum suo iusculo, colicos plurimùm iuuare solet. Quod sępenumero expertus est *Galenus lib. theriac. ad Pisonem & lib.* 11. *simpl med.* vires easdem ad colicos & nephriticos cruciatus, easque probatissimas tribuunt periti, pulueri auiculæ nobis frequentis, quam vulgus Mesenguam vocat. *Mizaldus.*

Miris laudibus Catuli coagulum in Hydrophoborũ cura ab Ætio extollitur: illud enim si semel tantum ex aceto Hydrophobici gustauerint, statim eos aquæ potus cupiditatem capere: ob id medicamentum hoc præstantissimum iudicamus, in huiusmodi enim affectu, nulla salus salubrior iudicatur, quam aquæ potus: quo deficiente mors in foribus semper est. *I.C. Baricellus.*

Caro trium Cochlearum multum tusa, & cum vini nigri cyathis tribus calefacta & epota, hydropicos occulta proprietate iuuat: perinde atque mustelæ caro siccata ac pota, epilepticos: & Erinacei terrestris Elephanticos, ac Nephriticos. *Galenus lib.* 8. *pharm. part. & lib.* 11. *simpl. med.*

Si æs vstum colore cinnabari, & ad rubedinem versum habere volueris, quemadmodum vult Dioscorides; accipe æris laminas cultri costæ profundas: non sint æris

alias

alias fusi, quia in hoc semper stannum commistum est. Has super ignitos carbones apta, cum autem illæ rubescere incipient, sulphuris puluerem tenuissimum leniter desuper conijcito; videbis enim (cessante sulphuris flamma) æris squamulas euidenter extrahi & euelli. Tu modo si perfectè non posse euelli cognoueris, addito sulphurem toties, quousque lamulæ eradicari videantur, caue tamen ne vrantur, & ad nigredinem vergant. Extincta tandem sulphuris flamma; & refrigeratis laminis, æris rubei squamulas habebis magni valoris, quas loco Hydrargyri præcipitati in medicamentis recipies; alias autem huius vires apud Galen. & Diosc. videto. *I. C. Baricellus.*

Palma oneri quantumlibet ingenti non cedit, sed contra pondus premens & vrgens constanter resurgit, vt Aristoteles, Theophrastus, & Plinius tradiderunt. Quapropter (vt inquit Plutarchus) in certaminibus Palma victoriæ signum est. *Mizaldus.*

Ruta adeò acris est, vt meminerim in Scotia curasse hominem, qui cum hortum curaret, putaretque rutam quæ inibi copiosa erat, & manibus & fronte igne sacro laborauit: id illi contigisse aiebat odore. Vt minimè mirum sit abigere serpentes, si copiosa seratur. *Ex Cardano.*

Aquas mirè diligunt cucumeres &

cucurbitæ: nam si illa in patens vasculum eis propè subijciatur, aut apponatur, à quinq; vel ex digitorũ interuallo, ante posterum diem adrepentes cognoscentur descendisse, & in tantum sese extendisse: defectis aqua vasis reuersi decuruantur: vsque adeò humore gaudent, & siccitates oderunt. Secus de oleo sentiendum: quod tam infensè oderunt, vt si loco aquæ illis subijciatur, aut apponatur, in contrariam partem vergant: vel si minus possint, sese intorqueant & recuruent. *Ex Quintil. Georgicis.*

Quanta sit Assari radicis non modo in ciendo vomitu, verum etiam in expurgandis à ventriculo, & ab eius partibus, humoribus crassis & tenacibus efficacia, sapientum aliquot docuit obseruatio: siquidem multi non solum in vitijs ventriculi, sed etiam in quartana febre, alijsque longis affectibus hac euacuatione fœlicissimo cum successu vsi sunt. Præparatur è scrup. ij. aut drach. j. radicis Assari, quæ in hydomelite, aut passularum decocto sit dissoluta, cui tãtillum cinamomi, & sirupi violar. adijcitur. *Ex Fornelio.*

Caniculæ exortus antiquitus à priscis summopere obseruabatur: siquidem ex eius colore, de anni statu coniecturam capiebant, Illa enim si obscurior, & veluti caliginosa oriebatur, grauem & pestilentem

fore

foreannum, ſi clara & pellucida ſalubrem ac proſperum prædicabant. *Heraclides Ponticus.*

Feles ſi domi velis continere, auriculas præcide: timent enim roris ac pluuiæ guttas, ne aures ingrediantur. *Cardanus,*

Multis obſeruationibus, nullum remedium ſalubrius infantium rupturis inueniri expertum eſt, quàm ex tritis cochleis, thure & oui albumine emplaſtrũ confectum. Hoc enim, ſi parti affectæ apponitur, & infantes eo tempore detinentur, miram in ſanando affectu retinet efficaciam. *Ex Matthiolo.*

Qualem anularis digitus cum corde habeat conſenſum, in animi defectibus, & in ſyncope experimur. Qui enim a talibus paſſionibus vexantur, vellicato articulo anularis digiti ſeu medici vel attritu auri ad eundem cum croci momento eriguntur. Per hunc profecto vis quædam refocillatrix ad cor peruenit, ex qua ab animi defectu collapſi vigorantur, & in priſtinam valetudinem redeunt *Ex Lemnio.*

Tradit Zoroaſtres anno toto oculos huius dolores non ſentire, qui calyces roſarum, antequam in flores explicentur, leui tactu luſtret: tribuſque earum alabaſtrulis viſum detergat, relictis roſis in roſario patente. *Mizaldus.*

Neque

Neque morbus ſacer, neq; dæmon, neq; fulmen locum infeſtat, in quo laurus eſt. Vnde boni Genij plantam laurum Romani vocant: cuius rami ſi in aruum defigãtur, rubiginis noxam in illos conuerti ſcripſit Apuleius. *autore Berytio in Geopon.*

Thomas Thomaius in Idæa ſui viridarij, Nicolaum Zamonem Chirurgum Rauennæ retulit, mirabili ſucceſſu & artificio, oris, gingiuarum, linguæ & palati, nulla alia re, quã radicis pentaphyllon ſiue quinque foliorum decocto vulnera ſanare, atq; labiorum ſciſſuras linimento, ex oleo amygdalarum dulciũ, cera, & maſtice, quã breuiſſimè ad ſanitatẽ perducere. *I. C. Baricel.*

Magna eſt vxoratis perturbatio, prole carere ſterileſque exiſtere: propterea vt à tanto infortunio liberentur, prolemque habeant, per aliquot dies ieiuno ſtomacho, vir & vxor cum iure galli veteris teſticulorum apri, ſiue verris in vmbra exiccatorũ puluerẽ capiant: ita profectò breui tẽpore optatum adipiſcẽtur, vt in multis ſterilib. ex quacũq; cauſa non ſemel expertum eſt. *Ex Democrito.*

Dioſcorides in cibo rutam commendat, quæ prope arborẽ fici, aut ſub ea naſcitur: reliquã ferculis abdicauit. Cui ſubſcribit Plutarchus ſympoſ. quinto, illam & ſuauiorẽ, & ſapore meliore indicans. *Mizaldus.*

Vſu atq; experientia cõpertũ habeo, oſſa huma-

humana dissentericis ex vino rubro exhibita, fluxum sanguinolentum cohibere, astrictoria ratione ac vi exsiccāte, quod efficaciter etiā præstat πίσσασφαλτον factitiū, hoc est, mumia Arabica, præsertim si momentum succini marini, quod vulgò sperma cæti dicitur, admisceas. *Lemnius.*

Papauer cum eius lachryma decerpitur, tum vehementem auram eructat, vt qui non sibi cauerint, veterno correpti concidant. *Mizaldus.*

Tarentinus est autor in Geopon. quod caudice populi nigræ iuxta terram conciso, si fermentum aqua resolutum infundatur illico prosilient fungi. *Idem.*

Inter maximos cruciatus, à quibus corpora nostra defatigantur, dentium dolores perniciosissimi existimantur, addo quod multi & in animi deliquia & in manias deuenerint, multi etiam in vitæ desperationem huius doloris remedium in odioso & abominabili animali natura reposuit. Aperiam hoc arcanum maximum. Tibiæ bufonis, siue ranæ terrestris à carnibus mundatæ, si super dentes condolentes fricabuntur, immediatè dolorem remouent, adeoq; cruciatus cessabit vt quasi in dētium superficiem dolor collocatus videatur. Experire modo, & fruere tanti arcani thesáuro. *Ex Florauante.*

Inter

Inter viros doctrina percelebres conuenit ſerendi munus obeundum eſſe, cùm luna ſub terra agit, & cædendam materiam, cum ſuper terram diſcurrens fertur. Nec eſt prætereundum Alexandri Macedonis inuentum ſeruandæ niuis in ſcrobes vbi ea ſit, coniectis è quercu ramis. *Mizaldus.*

Cancros & forte etiam gammaros, ſalicibus ſuſpenſos, tum etiam alijs arboribus, iumenta ab illarum iniuria arcere, pro conſtanti traditum eſt : id verò contingit partim formæ abſurditate, partim odoris fœditate : nam iumenta odorem omnem animalis mortui, plerumque etiam viuentis, ſi eiuſdem ſpeciei refugiunt. *Cardanus.*

Apij eſus à veteribus damnatus, quia eius eſu viſus diminuitur, & epilepſia generatur. Vnde à Medicis nutrices moneri conſulo (frequenti enim huius eſu, lac tum decrementum, tum malam recipit qualitatem) vt ab apio abſtineant, ne lactentes in morbum comitialem proni fiant. Dicunt in eorum caulibus nonnulli eruditi ſcriptores vermiculos naſci, eoſque ſterileſcere, qui comederint in vtroque ſexu. *I. C. Baricellus.*

Vipera fagi ramulo contacta, ſtatim obſtupeſcit. *Mizaldus.*

Seruandis ſeminibus quæ ſeruntur, duo ſunt auxilia. Vnum, vt infuſa prius ſucco cucumeris anguini terræ mãdes: ſic enim

ab amarore seruātur, sed & medicata fiunt. Alterum, vt acerrimæ propè serantur, qualia scilla, & arum, atq; dracunculus, lupinusq;: omnia hæc præter id quod seruant semina, terram etiā à malefico humore purgant: lupinus ab amarore, cæteræ ab acredine etiā: sed sub dracunculo latent angues libenter, scilla & cæpa innocentes, ruta salubrior & vtilis. Omnia autem semina, crescente luna, tepidisq; diebus sunt serenda. Si verò ad radices helleborum aut cucumini anguinum, vel scamoniū posueris, pruni aut cerasi, magis etiā vitis cùm ablaqueatur, fient fructus illarum purgantes, vt etiam Cato docuit. idem si iuxta caules & betam. *Cardanus*.

Satyrium, quod Canis testiculos vocant, magnę apud sapientes est cōsiderationis: in hoc enim, tum venerē excitandi, tum reprimendi à natura videtur esse remedium collocatum. Quippe maior plantę bubulus, qui plenior & mollior est, ex superflua & vētosa eius humiditate, in potu assumptus Veneris incēdia excitare consueuit: minor verò, qui flaccidior & aridior est illa reprimere, veneremq; extinguere videtur. Ob id (vt aiunt) in Thessalia mulieres mollem testiculum in lacte caprino ad stimulandos coitus, & bibere, & hominibus in potu præparare solent, Quod autem in Satyrio mirabilius est, aiunt, alterum alterius in potu sumptum potentiam & efficaciam resoluere, si

vterq; testiculus vnà exhibetur. *I. C. Baricel.*

Ficedula & Atricapilla, quæ Græcis Melãchoryphus appellatur, altera in alterã trãsit. Sic vt quæ ineunte Autũno ficedula fuerit, vindemiarũ exitu in Atricapillam versa cõuolat. *Autor Aristoteles & Theophrastus.* Ad hunc modũ eruca ascitis alis in papilionem abit: & erucæ quæ in ficu nascuntur, in cantharidas degenerant, atque hydrus siccatis lacubus in serpentem desciscit. *Mizaldus.*

Acetum cùm pingui humido careat, extinguit maximè ignem. Nam præter id quod veluti aqua prohibet accendi pingue humidum ob frigiditatem, illud etiam acredine corrumpit. Ob id cautum legibus est pro aceto, ad restinguẽdos ignes. *Cardanus.*

Inter ea remedia, quæ lienẽ & spleniticos ab obstructionib. liberare reperta sunt, mihi semper ex voto successit Absynthij Romani decoctũ, ieiuno stomacho epotũ ꝙ à Cornelio Celso cõmẽdatur: vt aũt cura tęcicior succedat post cibũ, aqua Fabri ferrarij, in qua pluries ignitũ ferrũ extinctũ sit, lienosis prębenda est. Experiẽtia id totũ manifestauit, animalia.n. apud huiusmodi fabros enutrita, ob ei⁹ potũ, exiguos habere lienes obseruatur. Beneuenius, ciuẽ Florẽtinum per septenniũ splenis scirro malè affectum curasse gloriatur, atq; solo esu capparorum, & aqua pianasse. Debẽt tamẽ hęc remedia multo tẽpore vsurpari, vt scopũ attingãt. *I. C. Baricel.*

Cicuta rutæ contraria, & cæca quadã antipathia aduersa cognoscitur, probabili argumento: quoniam colligentes rutam manus cicutæ succo muniunt, quæ aliàs vlcerari periclitarentur. *Mizaldus.*

Atramentum librarium dilato absynthij temperatum, literas à muribus tuetur: herba verò ipsa vestibus inserta tineas arcet: *autor Dioscor.*

Caulici caprifici bubulas carnes additi, magno lignorum compendio, percoquunt. *Mizaldus.*

Rusticæ rei scriptores præcipiunt iuxta coronarias herbas, acria vt cepas, allia, & id genus serenda esse. Id enim multùm conferre adfirmant, ad excitandam & creãdam odoris gratiam ac suauitatem. *Idem.*

Vinum sublimatum, siue aqua vitæ magnam habet efficaciam in rubificandis cancris viuis: propterea si vis homines in admirationem ducere, accipe viuos cãcros atq; in vino sublimato submergas, ita enim confestim rubescent, ac si percocti essent, tanta est illius aquæ caliditas, & energia, vt instar ignis exardescat: admiratio tamen inde nascitur, quod rubefacti, & viui ab aqua exempti ambulent. *I.C. Baricellus.*

Si trito maluauisco cum alborum albumine manus illeueris, atque alumen super induxeris, resiccatisque manibus sulphur

hur ad vnguem tritum respersferis, ignem
osque læsione tractare poteris. *Autor Al-
ertus.*

Verbena collecta sole per Arietem
icedente, & cum granis peoniæ collo ap-
ensa, vel trita & naribus immissa, caducũ
iorbum soluit. Et chelidonia super caput
ifirmi posita, si moribundus est, clamabit:
seruari debet, collachrymabit. *Idem.*

Si calcem non extinctam accipias,
ılphur virginem dictum, camphoram &
ıl nitrum in partes ęquales, ac benè omnia
mul misceas, puluis parabitur, qui in aqua
roiectus inflammabitur ac lucem reddet:
uod parui momenti haud erit, præcipuè
noctu luce indigebis. Poterit id fieri in
asculo aqua pleno, vt quidam amicus me-
s dum noctu in itinere esset, expertus est,
ui totum mihi fideliter communicauit. *I.
'. Baricellus.*

Quod si quis miliarem panem præ-
impsit, nunquam à veneno noxam incur-
et, *Dydimus.*

Si senis hominis cranium in colum-
ario suspendatur, multiplicabuntur ibi
olumbæ, ac quietè viuent. Idem præsta-
it lac mulieris puellam à bimatu lactan-
is, si in vitreo vase ibidem suspendatur: *au-
or Albert.*

In fluxu sanguinis narium copioso

 plerique

plerique & in animi deliquia, & ſyncopim deueniunt, multoties etiam tanti periculi hic morbus eſt, vt ægri à ſalute deſperati intereant. Aperiam quod mihi, cum maxima languẽtium vtilitate, ſemper adhibere profuit. Burſa paſtoris contrita, ſi cum oui albumine, & aceto commiſta fuerit, & fronti applicatur confeſtim ſanguis conſtringitur, vt mihi non ſemel in infirmorum cura contigit. *I. C. Baricellus.*

Oui putamen durum aceto molle redditur, vt per annulũ tranſire poſſit. *ex Mizaldo.*

In febricitantium querimonijs ex ſiti & linguæ ardoribus, Chryſtalli vſus inter præcipua iudicatur remedia. Illud enim ſi diu in aqua frigida agitatur, & ore deinde detinetur, ſitim & calorem corrigit, atque linguam humectat: maioris tamen virtutis eſt lapis albus, qui in lymacis capite reperitur: hic porro ſub lingua agitatus, non modo ſitim caloremque refrenat, verum etiam ſaliuã in ore excitat: vnde febricitantibus & maximè ſiticuloſis pręſentaneum iudicatur eſſe præſidium. *Ex Lemnio.*

Ferrum paleis incubantium Gallinarum ſuppoſitum, multam malitiam auertit: *autor Florentinus in Georg.*

Vites decreſcẽte luna putandæ ſunt, adhæc vindemiandæ: quæ ſi ferro vulnerentur, ægrotant: præſertim nouellæ: *autor Anatol. in Georg.*

Ex quo addo columbinū stercus ad ce-
rem vitium germinationem idoneum esse,
erum ad vinigenerositatē summè incōmo-
um. *Mizaldus.*

Si talpas à vinea, agro, vel horto de-
rbare voles, vnam cum accenso susphure
ollam conijcere debes, nam omnes aliæ
i conuenient. *Idem.*

Raro mortem in Athridite & Chira-
a timemus : quod in partibus corporis
nobilibus humor resideat, hinc (haud no-
o superueniente morbo) tales à mortis pe-
culo, vexati doloribus vindicantur. Hos
men mori compertum est, quando circa
nistrum pectoris sinum, cui cordis turbi-
tus mucro subest, humorum colluuies de-
mbat, atque sinistræ manus digitus anu-
ris nodum acquirat, ac valde intumescat.
c Lemnio.

Aduersus animalia quæ solent hortis
ocere, præcipiunt Græci Veruecis ventri-
lum statim occisi, sordibus suis plenum
loco vbi abundant huiusmodi leniter o-
riendum. Nam post biduum congesta ibi
unt animalia quæq;. Hoc cū bis vel tertiò
eris, genꝰ omne extingues: *autor Paladiꝰ.*

Inter signa, mortem languentiū quæ
æsagiunt in febris acutis, illud maximè
seruatu iudicaui dignū, quod à Sauona-
la multa experiētia cōprobatū est. Si enim

in facie ſeu genis ægrorum, maculæ nigræ obortæ conſpicientur, procul dubio languentis exitium minantur, quippe venenoſæ, & peſtiferæ materiæ in corpore prædominium redundare arguunt, ex quo mors ſubſequitur. Has cum obſeruaſſet Sauonarola, ex tali prognoſtico, magnum honorem fuiſſe conſequutum refert. *I. C. Baricellus.*

Veſpertiliones non habebis, ſi Plantani folia in ſuſpecto loco deponas: ſed & hædera ſuffumigata illos occidit: *autor Africanus in Geoponicis.*

Si minuente luna ſerantur Cepæ, tenues & acriores proueniunt: ſi creſcēte, robuſtæ, & humoris humecti. Addo quod braſſica celerius coquitur virore ſeruato, ſi dum eſt trium vel quatuor foliorum, nitrum tritum & crebello ſecretum, deſuper aſperſeris, vt ſpeciem pruinæ canentis de ſuperficie imitetur. Nec omittendum puto, quod ſi vermes pomiferam arborem infeſtent, tedæ cuneus eius radicibus inſertus, illos arcet atque deturbat: *autor Pallad.*

Cum puer quidā ab aſpide ictus eſſet & partim ob ipſum vulnus, partim ob imōdicos æſtus, ſiti premeretur, cū in locis ſiccis alium humorem non reperiret, acetum, quod forte ſecum habebat, ebibit, & liberatus eſt: coniecturandum eſt acetum, quā-

uis re-

s refrigerandi vim habeat, habere etiam ſſipandi, quo fit, vt terra reſperſa eo ſpuet. Propterea eadem vi veriſimile eſt, ſpiſſcentem quoque intus humorem homis, ab eo diſcuti, & ſic dari ſanitatem. *Ex orneliȷ Celſi obſeruat. Lib. 5. de ictu aſpidis.*

Boues nitidiores fiunt, ſi focum promè habeant, & ad ignis lumen intendant: rutæ ramuli plures in columbariȷs ſuſenſi, noxia arcent animalia. Inſuper corindri folia frumentis remixta, illis conſerandis maximè proſunt. *Autor Palladius.*

Aquarum amaritudinem emendat orallium contuſum & iniectum: nec non itum hordeum & linteolo illigatum. Sic edibus confricatum ſal, nocumentum tolt, quod ex vini crapula contrahitur. *Mialdus.*

Aperiam nunc pilulas meas maximæ fficaciæ, quibus in angina præfocatiua à raſſis frigidiſque humoribus exorta, ſemer cum fælici ſucceſſu vſus ſum. Inter alias bſeruationes, in quibus tale medicamenũ libuit experiri, ſucceſſit caſus in R. Petro e Stephano Archipresbytero Cercelli, qui erè ſuffocatus erat, quare vocatus anno 615. vt eius ſaluti conſulerem; cognito norbo quod à craſſa & viſcida à capite deſtillatione fieret, pilulas meas in aurora exibui. Erat pilularum compoſitio ex tro-

 chis,

chis,alandahal, & Aloes an. ſcrup. ſem.j. Diagrid.ſcrup. ſem. cum ſyrup. de liquintia conficitur maſſa. Ex hac plurimæ pilulæ, vt facilius æger deglutiret, confectæ ſunt. His deglutitis cicerum ſubitò cyathum propinare ſoleo, quemadmodum in hoc feci, qui ſine moleſtia euacuauit, & breui delituit dolor & gulæ tumor, benè reſpirauit, benè comedit, & vna die ſanus factus eſt, cũ maxima multorum admiratione. His pilulis vſus eſt Galenus ad linguam tumefactam, *vt lib* 14. *Method. med. ſcriptum reliquit I. C. Baricellus.*

Lapis è capite Draconis erutus, ſi aceto ſuperfuſus fuerit, mouebitur primum in rectum, mox in obliquum, deinde in gyrum, donec exhalet aceti vapor. Idem præſtat lapillus in capite Cancrorum repertus, quemadmodum plus millies ſum expertus. *Mizaldus.*

Fugantur pulices amurca per pauimentum frequenter reſperſa: vel cimino agreſti cum aqua trito. Vel cucumeris agreſtis ſemine, aqua reſoluto. Præterea necantur mures, ſi helleboro nigro caſeum, vel panem, vel adipes, vel polentam permiſceas & illis offeras: *autor Palladius.*

Pueri braſſica veſcentes citius augeſcunt: & qui boletos venenatos ederit, ſucco eius poto ſeruabitur, vt in Græcorum Geoponicis

ponicis annotatum est. Si pennas varijs coloribus tingere optabimus : primò illas diligẽter abluere oportet: mox in aqua aluminis decoquere, atque dum calent, in aquam croco coloratam, si flauas eas cupimus, cōijciemus: sin autem cærulas, in succum, aut vinum acinorum sambuci vel ebuli. In diluto floris æris virides fiunt : eodem modo colore minij, atramenti, alteriusue coloris tinctas habebimus. *I. C. Baricellus.*

Capræ multum lac faciunt, si circum ventres ipsarum dictamum alligaueris. *Autores Florenti. & Africanus in Georg.* Qui postremus etiam tradit, arietem non incursurum, nec impetum facturum, si cornua ipsius prope auriculas perforata fuerint.

Si talpas accipere voles, illorum foraminibus & osculis allium, porrum, aut cepam obijce : statim ac si stupidi essent foras prosilient. *Autor Albertus.*

Lapis asbestus semel accensus ignem perpetuum seruat, maximè affuso pingui aliquo, estque inextinguibilis. Ex quo nostratibus Gallis vulgò *mesche sans fin* vocatur. *Mizaldus.*

Vtuntur Agricolæ filicibus pro stragulis in horreis, vt cerealia à corruptela pręseruent: quippe Filix à proprietate generationi obest, hinc agri filice pleni reputantur steriles. Hinc filix epota necat vermes, & ex

aluo deijcit: in grauidis necat fætum, mulieresque reddit ſteriles: quapropter multa ratione agricolæ (licet tāti arcani ſint ignari) filicibus pro frumentorū ſtragulis vtuntur: quia illorum corruptioni maximè reſiſtunt; *I.C.Baricellus.*

Aduerſus mures agreſtes Apuleius aſſerit ſemina bubulo felle maceranda eſſe antè quam ſpargantur. Alij eorum aditus rhododaphnes folijs claudunt. *Mizaldus.*

Viſcum quercinum ſylphio coniunctum, & ad arborem cum hirundinis ala ſuſpenſum, aues ad ſe congregat. *Autor Albertus.*

Vinaceorum cibo ſterileſcunt gallinæ: & hordeo ſemicocto parere ſæpè coguntur, redduntque oua maiora: quæ ſi oblonga & acuta fuerint, maſculos edent, ſi rotunda fœminas. Addo quòd circa Gallinarum caueas cornu incendere optimum eſt, ne ſerpens illuc accedat, cuius odore ſolet interire: *autor Pallad.*

Panaricium in latere vnguium accidit, & inter apoſtemata numeratur, quod tātū inducit doloris, vt patiēs neq; diu, neq; noctu dormire valeat. Pro huius curatione, & doloris lenitione multi multa ſcribunt: ego profectò certiſsimo experimento comprobaui, lumbricos terreſtres viuos ſuper panaricium alligatos, præſertim in principio,

pio, mirabiliter apostema compescere & sanare, vt vix diei spatium affectus pertranseat. *I.C. Baricellus.*

Plerique ex nodis infantis primò nati filiorum numerum ex eadem matre nascíturum cognoscere profitentur: hoc autem caret ratione: sæpè enim fit vt illa moriatur, aut casta viuat: vel plures generet filios, & pariat, quàm nodorum numerus existat: siue plures viros habeat, è quibus cum alio plures, cum alio pauciores filios suscipiat. Propterea certiori ratione asserendum, in nodorum vmbilici primi infantis coniectura, existimo, fœcundos vteros plerunq; plures nodos infantis parere vmbilico, steriles autem paucos, eosque non ad vnguem distinctos, vt frequens obstetricum obseruatio demonstrat, & vt euentui hæc Italici, vt plurimum concordare videntur. *Ex Carda. 8. de rer. var.*

Coccyx vere prodit, exortu Caniculæ à nemine videtur. *Mizaldus.*

Cucumer serpentinus in aqua maceratus cimices fugat & expellit, si locum aqua illa asperseris. Idem facit consolida maior puluino superstrata: nam veluti stupescentes retinet, & ad se euocatas ligat. *Idem.*

Efficax remedium ad lapides expellendos à renibus & vesica. Paratur ex hepa-

te, pulmone, renibus, testiculis cum priapo hirci, quæ cum coco, cinnamomo, & melle miscẽtur, ac ijs hirci intestina implentur. Dosis sint duæ, aut tres buccellæ. Res porro monstruosa, si vera est. *Ex Michaele Pass. lib.* 1. *Method. med.*

Sumere quolibet manè aquam bis pleno ore, efficit, vt homo sanus persistat, & & alia haud indigeat medicina, dixit Sanages Græcus, medicinæ peritissimus. Hoc profectò à ratione alienum non est: aqua enim ponderositatis ratione ad stomachi fundum tendit, auget calorẽ, & citius comprimit, & digerit cibos, digestionique valde auxiliatur, cæterisque membris corporis plurimum conducit. Fabrorum exemplo id totum inquiritur, qui in accenso s carbones modicum aquæ conijciunt, vt ignis in maiori accendatur.

Idcirco binos aquæ claræ haustus manè potare, mense Iunio præsertim, propter choleram reprimendam, multum confert ad sanitatẽ conseruandam. *Ex Barthol. Moles in lib. de sanit. tuenda.*

Si aliquot anguillas in vino extinxeris, qui ex illo bibent abstemij euadent. Nec omittes quod serpentes ad allium non accedunt: nec canes gustant aliquid allio delibutum, etiam si impensè esurient. *Mizaldus.*

In-

Inter præſtantiſſima auxilia, quæ combuſtionibus adhibētur, ſeminum cotoneorum muccagines retinent principatum. Referam Petri Foreſti in proprio filio experimentum. Ille matri obſequioſus, cum teſtam carbone ignito repletam apportaret, cecidit, & igne oculos combuſſit: Pater, cum ſemē cotoneorum in aquam roſaceam conieciſſet, atq; muccagine oculos ſæpius abluiſſet, miraculi inſtar puer conualuit abſq; combuſtionis veſtigio. Hoc etiam auxilio in ſimilibus caſibus fœliciſſimè ſemper vſum fuiſſe, idem confirmat *in lib. 6. obſ. med.*

Ne ſubterraneæ peſtes adultas ſegetes radicibus ſubſectis enecent, remedio eſt aquæ mixtus ſuccus herbæ quam ruſtici ſedum appellant. nam hoc medicamine ſemina vna nocte macerata iaciuntur: *Autor Columella.*

Pretioſa ac breuis theriaca reperitur, qua homines ab aëre peſtilenti, adiuncto vitæ regimine, præſeruari poſſunt. Sumuntur caricæ, nuces iuglandes, folia rutæ, & iuniperi baccæ pondere æquali; confundantur ſimul, atque cum aceto roſaceo, vel communi diſſoluantur; mox per pannum colentur, ſuauiterque exprimantur, ſuccus verò, qui percolatur, ſeruetur: vnum enim iſtius cochlea-

are, mane ieiuno ſtomacho ſumptum, non ſinit illa die hominem à peſtilentia corripi. *Ex Alphano de peſte.*

Gallinacei galli aliter caſtrantur quàm exectis teſtibus, hoc eſt Libido ab illis remouetur, calcaribus nimirum ferro candente inuſtis: quæ cum ignea vi conſumpta ſunt, facta vlcera dum conſaneſcant figulari creta linuntur. Prætereа, incubandi adimitur cupiditas gallinis, pinnula per nares traiecta, *autor Colum.*

Si cocto Leporis cerebro infantulorum, qui dentire incipiunt, gingiuas blande tractaueris & inunxeris, efficies vt abſque labore & dolore dentes emittant. Addo quod annulus ex recenta myrti virgula concinnatus, & annulari digito impoſitus, apoſtemata quæ ſub axilla oboriuntur, ſedat & compeſcit. *Mizaldus.*

In ſedando dolore vnguium ex puncturis, acu, vel ferro, atque ijs perſanandis, nullum remedium oleo oliuarum ſalubrius inuenitur: confiteor multum experimentis, id totum comprobaſſe. Mulier quædam, dum varia ad familiæ ornamentum acu contexeret, in vnguibus digitorum puncta eſt: ſimplici tamen oleo oliuarum in puncturis collinito, dolor confeſtim euanuit, & ſalus introducta eſt. Ego profe-

profecto ſemel punctus ferri cuſpide ſubter pollicis vngue cum ſanguinis effuſione, ſubito ad linimentum ex oliuarum oleo, antequam aquam tetigiſſem, deueni, quo adhibito, dolor delituit, atque vulnus vnà breuiter, & conſolidationem, & ſanitatem habuit. *I. C. Baricellus.*

Scribit Iſidorus quod radix virgæ paſtoris, ſeu Cardui ſylueſtris in aqua decocta, bibendi auget cupiditatem: contra glycyrhiza, quæ ore contenta, Scythis olim in bello ad dies multos ſitim coercuit. Quod nos etiam Alectorio lapidi, & folio portulacæ damus. *Mizaldus.*

Vt à muribus & gurgulionibus, alijſque animalibus noxijs frumenta & legumina defendantur, præcipit Palladius parietes amurca luto remixta illinendos eſſe: cui aridi oleaſtri folia, vel oliuæ pro paleis adijcientur. *Idem.*

AEgrotabat quidam calculo veſicæ, poſt varia aſſumpta remedia, cum nullam ſubſectitam noſſet vtilitatem, ſecari cupidus, de pretio cum artifice conuenerat. Propterea Sacerdotem Ieſuitam iuſſit acceſſiri, qui, audita confeſſione, proponit illi pharmacum, de quo in ſeipſo, & in alijs periculum fecerat: experiri æger noluit, & magna aſſiſtentium admiratione ſanatus: pharmacum ita erat concinnatum, pul-

ueris Millepedũ præparat. drach. j. ad ſummum ſcrup. iiij. aquæ vitæ vnc. ſem. iuris cicerum rub. vnc. ix. vel x. capiat æger calidum, horis quinque ante prandium. Effectus medicamenti talis fuit. Horarum duarum ſpatio totum corpus incaleſcebat, anguſtiabatur ægrotus, ſitiebat, ac ferè loco ſtare non poterat, aliquando circa pubem dolores vrgebant. Vrinæ hora quinta cœperunt craſſiores reddi, ſed non multæ. Secunda die à pharmaco contingebant eadem, ſed vrinæ copioſiores & craſſiores. Tertia ſabulum apparuit multum. Septima tandem adeò plenæ ſabulo viſæ ſunt, vt recte quis diceret, eas nihil eſſe quam ſabulum aqua diſſolutum: omnia in meliorem ſtatum redigebantur, ita vt, qui proximè incidi debebat, liber ab omni malo nona fuerit die; à doctiſſimo Horatio Augenio experimento confirmatum. *I. C. Baricellus.*

Odoratas facies cinaras, ſi ſemen ipſarum in roſarum, aut liliorum, aut lauri, aut aliquo alio ſucco per triduum maceratum, ſic terræ mandaueris. Naſcentur præterea ſine ſpinis ſi ſemina in tenues particulas radicis lactucæ decorticatæ occultaueris, ac ita plantaueris. *Ex Mizaldo.*

Præparantur Millepedes ad renum veſi-

vesicæque calculos tali modo: R. Asellorũ quam volueris quantitatem, vinoque albo generoso abluito diligenter, mox in ollam conijcito nouam, vitro obductam, lutoque aliquopiam illam incrustato, demũ in furno exiccentur, ita vt possit in tenuem puluerem redigi, tum verò affunde vini eiusdem generosi tantum quantum poterant imbibere, & rursus exiccato, ac tertiò imbibito & exiccato vt supra, quartò verò puluerem irrorato aqua fragrarum destillationis, & olei ex Calchanto scrup. j. permisceto inuicem, & exiccato rursus: vbi verò sic fuerit exiccatum in tenuissimumque puluerem redactum, seruetur in vase vitreo, aureo, argent. *Ex Horatio Augenio.*

Modus delendi literas. Cerusam in æstate cum lacte ficus misce, & in pastillos redige: siccato in vmbra & tere, ac rursus nouo lacte ficus imbue: forma pastillos, siccato, terito: atque id repete quater, inde serua. cum opus est, literas leuiter madefacito, & puluere illo inspergito, sic vt vndique adhæreat, finito per horas 12. saltem, confricato tenui linteo asperiusculo, in quo gossipium includatur. *ex Cardano.*

Quam sit familiaris pueris & infan-

tibus

tibus morbus epilepticus, apud autores nostros passim legitur, ob id affectus hic vocatur à nonnullis morbus puerilis, siue mater puerorum. Vt autem tum ab Epilepsia, tum apoplexia hi præseruari valeant, multa obseruatione expertum est, ijs, antequam lac gustent, in primo ortu præbendo syropum cichoreę cum Rhabarbaro drach. ij. ab hac lue præseruari, vt Nicolaus Florentinus fatetur. Arnaldus Villanoua corallium laudat: nam si diligenter tritum scrup. sem. infans hauserit cum lacte, antequam aliquid gustat, nunquam in Epilepsiam incurrere obseruauit. Ego quidem filiolis meis succum rutæ cum modico auro ad scrup. ij. cuilibet dedi, antequam lac gustarent, & ab Epilepsia immunes existunt. Helionora, quæ nunc ablactatur, ferè mortua nata est, sumptoq; paruo cochleari syrupi de cichor. cum Rhabar. reuixit, & epilepsiam nunquam adhuc passa est. *I. C. Baricellus.*

Oua candore corticis splendoreque, & quod opposita manu lucem in solis radijs non admittunt, bona sunt. Cęseus verò pinguis & grauis, croceus leuiter, suauis gustu, odore iucundus, & omninò à sordibus purus. Seruari existimant, nec absque ratione, inter folia dracunculi maioris: nam cum acria sint vehementer & subamara, prohibēt

vermium putredinem. Allium enim tametsi putrescat, & cepe; non tamen animalia generant, sed contabescunt potius. *Cardanus.*

Verum vnicornu, quod in febribus pestiferis propinatur languentibus vtilitate maxima, in syncope maximopere prodesse videtur. Illud autem non ex eo cognoscitur, quod bullas excitet, vt plerique hominum ignari persuasi sunt: hoc etiam quodlibet cornu facit, sed alia, diuersaq; methodo. Hoc est præcipuum experimentum. Si scobem eius cum arsenico gallinæ, turturi aut columbæ deuorandum dabimus, si superstes manserit (vel vnicornu statim post arsenicum sumptum datum fuerit) verum & legitimum vnicornu pronunciabimus. Alij in aurificis fornacem demittunt, si odorem cornu à se emittet, verum esse prædicant. Nonnulli experimento referunt, quod in vstione omnino non comburatur, sed augeatur potius, minimeq; in vstione fætorem cornu habeat, vt in cornu ceruino experiri solet. *Ex Foresto.*

Aues quomodo eligendæ. Aues mortuas ab oculorum nitore discernes, nihil enim celerius in mortuis contabescit: quæ ratio & in feris obseruanda est: in auibus etiam cutis color obseruandus, maximè gallinis, albus ac rubens subcroceusque cum quodam splendore, nuper extinctam significat. *Cardanus.*

The-

Thesauris profecto comparanda est confectio illa quæ à Marsilio Ficino in lib. 2. de vita producenda, Medicina Magorum appellatur, quippe spiritum naturalem, vitalem, & animalem fouet, & roborat: & propterea senibus præstantissima est. Constat hæc ex thuris vnc. II. myrrhæ vnc. I. auri in folia ducti drac. sem. contundere simul tria oportet, atque aureo quodam mero confundere, & pilulas ducere. Sumitur huius misturæ portiuncula in aurora ieiuno stomacho: in æstate cum aqua rosacea: in hyeme verò cum exiguo meri potu. *I.B. Baricellus.*

Sal quomodo candidus fiat. Salem candidum sic facito, amphoram defricato colluitoque purum, impleto aqua pura, in sole ponito, ibi fiscellam cum sale populari suspendito & quassato suppletoque identidem, id aliquoties in die facito, vsque adeo donec sal desiuerit tabescere biduum: id signi erit: ouum demittito, si natabit, ea muria erit, qua vel carnem vel caseos vel sal samenta condias: eam nuriam in labella vel in patina in sole ponito, vsque adeo in sole habeto donec concreuerit, inde flos salis fiet, vbi nubilabitur noctu sub tecto ponitur: cum sol erit, in sole ponito. *Cardanus.*

Amylum ſic facito, ſiliginem purgato benè, poſtea in alueum indat, eo aquam addat bis in die die decimo aquam exiccato, exturgeto benè in alueo puro, miſceto benè, facito tanquam fex fiat, in id Linteum nouum indito, exprimito cremorem in patinam nouam, aut in mortarium: iam omne ita facito, & refricato denuo eam patinam, in ſole ponito vt areſcat, vbi arebit in ollam nouam indito, inde facito cum lacte coquat. *Idem.*

Quidam oua magna ſibi generari cupientes, rubricam diſſolutam cibo gallinarum admiſcent. Cæterum non abortiet gallina, ſi albumen oui aſſatum, & vnæ paſſæ ædulis toſtæ tantundem ſimul triueris, ac ante apium cibum appoſueris: *autores Leontius & Pamphilus in Græcorum Gepon.*

Si febrem in aliquo vel ad oſtentationem, vel ad remedium inducere optabimus (ſi quidem in conuulſionibus, paralyſi, alijſque frigidis affectibus non parum aliquando febrem excitare profuit) Scarabei cornuti in oleo decoquantur, illoque arteria brachialis inungatur: tanta enim eſt illorum potentia, vt confeſtim febris, & accenſiones corporis oriantur: *Ex Cardano.*

Multa ratione à Medicis in plenilunio

lunio, & Nouilunio pharmacum euitatur: ſiquidem luna, cùm intermeſtris eſt, omnino caret lumine, atque ſub radijs ſolaribus iacta, & proinde ſolita caret humiditate, quo fit vt corpora noſtra magis ſicca maneant, & virtus retentrix robuſtior exiſtat. Idcirco ſi in Nouilunio pharmacum ægris exhibetur, abſque dubio humores noxios agitabit, atque ob retentricis facultatis inobedientiam parum euacuabit. In plenilunio ob Lunæ potentiam corpora noſtra valde caleſcunt, humoreſque augentur. Hinc in plenilunijs noctes calidiores eſſe experimur, cuius cauſa, calorem à centro ad circumferentiam attrahi veriſimile eſt: quapropter ſi humores corporis noſtri ad ambitum tendunt, procul dubio pharmacum improbatur: illud enim à circumferentia ad centrum trahit, motumque naturæ peruertit, quo facilè ſuccedit vt virtus lædatur, & humorum euacuatio vel mala vel deprauata contingat. *Ex Ioanne de rit.*

Ad reſarcienda vaſa vinaria, ne quid remittant, Catonis medicamentum ſalubre: ceræ, reſinæ, ſingulorum partem vnam, ſulphuris partem vnam & mediam, colliqueſcant in calice nouo, tantumque gypſi addatur, vt craſſitudinem æmuletur empla-

emplastri, eo dolia sarcito: quod si colorem etiam velis dissimulare, cretæ crudæ partes duas, calcis vnam commisceto, inde laterculos facito, in fornacem coquito, contérito atque inducito. *Ex Cardano.*

Plurimis experimentis comprobatum est, Millefolio maximam inesse virtutem ad vulnerum coitionem. Referam solum quod ab Hollerio in Chirurg. annotatur. Cuidam decisus nasus erat, qua os in cartilaginem desinit: Rusticus propendentem partem alteri digitis coniunxit, herbam tusam, & è vino nigro tritam, quod Mille folium appellant, impegit, rudius omnia colligauit, vnde celerrimè restitit sanguis profluens, & vulnus pulcra cicatrice breui coijt. *I. B. Baricellus.*

Dicunt Varro & Cato, quibus credendum hauddubie est, tum magis quod rationi consentanea dicant, amurcam ad dimidium decoctam, si ex ea fundus anguli que ac pedes arcæ vngantur, deinde postquam inaruerit, vestes condantur, à tineis illas non attingi. Sunt enim tineæ ac vermes formicæque adeo inimicæ amurcæ, vt solo odore intereant: imò nec talpæ vbi amurca tetigerit, accedunt, sed nec herbæ nascuntur vbi illita sit. Ob id commodissimè in areis spargitur. Sed & ligna

quibus

quibus inungitur ſplendidiora euadunt: ferrum quoque & æs ſi prius deterſeris quã inungantur, à rubigine vindicat: cruda verò lignis illita poſtquam illa ſiccaueris, tædarum vice ardere facit. *Cardanus.*

Mira eſt Daturæ potentia in faſcinandis, vt ita dicam, hominum mentibus, adeo quod, qui illius flores vel ſemen ſumpſerit, à riſu cachinniſque non deſiſtat, donec mens alienata ex plantæ viribus, in priſtinum redeat temperamentum. Apud Indos à furibus Datura vſurpatur: flores enim, vel ſemen in cibos eorum, quos deprædari volunt, exhibent, & in mentis alienationem, & in riſum concitant: ita profectò furandi parant induſtriam. Durat enim illorum riſus & mentis error 24. horarum termino. *Ex Gaza ab Horto.*

Multa à ſcriptoribus ad marium generationem annotata valere reperimus: hęc autem præcipua & veriora eſſe exiſtimaui. Primò vt homo exerceatur, ſolidiorique vtatur cibo, atque rarius concũbat: ita enim & calidius & ſpiſſius ſemen euadit, fitque prolificum & aptiſsimum ad marium conceptum. Secundò in congreſſu ſuper latus dextrum recũbat, & à coitu confeſtim ſuper illud conquieſcat: ſiquidem Hippocrates maſculos in dextris: fœminas verò in ſiniſtris generari ſcripſit. In dextris enim ab he-

pate

pate fouetur ſemen, quod eſt calidum: in ſiniſtris autem à liene frigido quoquo pacto refrigeratur, & ad fœminarum conceptum præparatur. Tertiò ſpirantibus Aquilonibus concumbant, Auſtris verò deſiſtant: Aquilo enim ad mares ſuſcipiendos accommodatiſſimus eſt, Auſter verò ad fæmellas. Capimus huius rei ab ouibus experimentum, quæ ſi flante Aquilone concipiunt, marem ferunt, Auſtro autem fœminam. Multi, inter quos eſt Cardanus, ad mariũ conceptum Mercurialis maſculæ eſum extollunt, hæc duos quaſi coleos pro ſeminibus habet, & ab vtroque coniuge depaſta, marem inducere occulta vi exiſtimatur. *I. C. Baricellus.*

Ad compendium etiam rei familiaris, faciunt calcei ex corio aſinino, ea parte tergi qua onera geſtare ſolet: namque vt Albertus refert, nullo temporis tractu atteruntur: neque ſi perpetuò per lapides quis ambulet, franguntur: vetuſtate tamen nimia adeò dureſcunt, vt ferri non queant. *Ex Cardano.* NB

Licet venenorum genera multa ſint, ex quo difficile ſit omnia ſigna reperire, quibus cognoſci valeant, afferam tamen qua methodo corpora, quæ venenum ſumpſerint, intelligere poſſimus. Porrò magna ſit in corpore cõmotio, dum quis vene-

num hauſerit, præcipue ſi illud calidæ fuerit naturæ: doloribus enim validis atque acutis in ſtomacho, & in inteſtinis torſionibus languens cruciabitur, præcordiorum ſentiet anguſtiam, fatigabitur vomitu, & fluxu ventris, ſudor ſuſcitabitur in fronte, cum vultu frigido: color ægri erit pallidus, pulſus debilis, inæqualis & inordinatus, animi deliquijs affligetur. Hæc ſi omnia vel in maiori parte ſuccedunt, oportet celerrimè in ægris vomitum prouocare, vt aſſumptum venenum eijciatur. *Ex Arnal. Villan.*

Referam notabilem miſturam, qua barba & albi capilli denigrari valeant. Sumito Lixiuij communis quantum volueris, decoque in eo Saluiæ & Lauri folia cum corticibus iuglandium viridium: mox laua aut ablue madefacta ſpongia: ita enim nigredinem comparabis, quæ diu durabit, & lætaberis effectu. *Ex Porta.*

Epiſtola ſub epiſtola condita. Scripta occultantur, vel communi ratione, qua rimæ ſimilibus ſarciuntur condita exempla ligno ferroue: vel nota, cum aqua aut igne aut puluere admoto apparere tum primum incipit, de quibus alibi. Nunc autem amici experimentum afferam. Diluitur tantum atramenti ſcriptorij in aqua, vt vix ſcripta epiſtola veſtigium nigredinis appareat: qua ſiccata ſuper eadem verba ijſque lituris a-

lia, ex

tia, ex carbone ſalicis & aqua pluuia ſpiſſata ſcribitur, quæ verum atramentum refert. Vbi ſiccata fuerit tranſmiſſaque, libeatq; legere, galla aquæ concoquitur, impoſitaq; ſpongia ac expreſſa mediocriter detergitur epiſtola nuper conſcripta, quod carbo nec lachryma nec galla adhæreat, reliqua prior emergit, cum gallæ colore & tenacitate affigatur chartæ & obumbretur. Idque (vt dixi) ſe expertum affirmat. Nec mirum carbone ſcribi poſſe: cum etiam ceraſorum ſucco virides literæ fiant, tum aliorum fructuum alterius aut eiuſdem coloris. *Cardanus.*

Lac illud quod à pleriſque ob coloris ſimilitudinem, ſiue ex noua origine, virginale appellatur, ex duabus aquis artificioſè confectis exoritur, ad multa equidem corporis mala vtiliſſimum. Eius modus talis eſt: Sumito lithargyrij in puluerem redacti vn. ij. aceti albi vnc. 6. commiſta in ſimul per filtrum lineum deſtillato, & aquam claram habebis, Vt autem alteram componas, ſumito ſalis gemmæ vnc. j. aquæ communis ſiue pluuialis claræ vnc. 6. miſceto ſimul, & ſic binas habebis aquas magni valoris: Cum verò vel ad oſtentationem, vel curioſitatem ſiue neceſſitatem lac virginale conficere optabis, aquas vtraſque coniunges ſimul miſcendo, ita profectò confeſtim liquor la-

ćteus ſuſcitabitur, qui virgineus vocatur. Verrucæ in manibus, ſi hoc lacte per dies aliquot bene confricentur, euaneſcunt. Impetigines, omneſque faciei maculæ, rubores, & ex ſole ardores, hoc linimento facillimè curantur. *I.C. Baricellus.*

Aureus color quomodo abſque auro fiat. Licet etiam aureum colorem fingere abſque auro: croco ſcilicet, auripigmento nitido ac ſpeculari, & felle capræ, aut lucij piſcis: quæ omnia in vitreo vaſe ſub fimo equino conduntur. *Cardanus.*

Caſtratos lienem, vel ouorum vitellos duriores deglutire non poſſe. Mirabile eſt illud quod in caſtratis circa cibum obſeruatur: hi enim nec lienem, nec duriores ouorum vitellos deglutire poſſunt, vt frequentiſſima apud multos inoleuit experientia. Retulit Bodinus in ſuo Theat. tales prius fame ſe necari pati, quam lienem vorare poſſe. Huius rei alia non creditur eſſe ratio, quam æſophagi iſtorum ex nimia adipe coanguſtatio, & conſtrictio; cum autem lienis ſubſtantia ſpongioſa & flatuoſa ſit, atque in manducatione magis infletur, facilè fit, vt ij ex æſophagi anguſtia, talem cibum deglutire nequeant. Eadem ratio eſt in ouorum vitellis durioribus, qui ex ſubſtantia glutinoſa, per anguſtum non facile tranſeunt. *I.C. Baricellus.*

Sanda-

Sandarachę inſperſio in quatuor caſibus conuenit. In quatuor caſibus vernix, ſeu ſandaracha, ſeu iuniperi lachryma conuenit: Aut quando literas elegantes conficere propoſitum eſt: vnde ſcribendi doctores, cum graphicè ſcribere volunt, chartam inſpergunt ſandaracha: nam literarum diſcrimina vel minima, elegantiſſimè recipit. vel cum perfluit charta: vel cum eſt inæqualis, vel nimis dura. Aliis in caſibus ſuperfluum. *Cardanus.*

Phlebotomiam ex vena ſaluatella ſpleneticis plurimum prodeſſe. Curabat Galenus ſpleneticum quendam, & cum diu (vt ipſe narrat) de illius cura eſſet ſolicitus, atque diligenter remedia quæreret, quadam nocte ſomniauit, ſe in infirmo de vena ſaluatella, quæ inter minimum, & annularem manus digitos, ſanguinē trahere, quod fecit & ſanatus ille eſt. *Ex Barthol. Sibylla.*

Atramentum vbi deſit, vt in peregrinatione, puluerem ex calchanto, & palla, & lachryma Arabica tecum feres, nam magno compendio hæc erunt. In hyeme verò ſi gelaſcit atramentum, fiat ex ardēte aqua, aut illa ſuperaddatur. Conſtat enim ardentem aquam non congelari, reſiſtit enim etiam vis vini potentioris. Nam gelu fit terreo immixto, cōcretio autem aqueo: cum verò ardens aqua ſi pura ſit, nec ter-

reum quicquam habeat, nec aqueum, constat illam non posse congelari, nec concrescere. Aër verò si congelatur, non purus est. *Cardanus.*

Quibus auxilijs strumarum materia per vrinas valeat euacuari. Obseruatum est huiusmodi præsidijs strumas ab hominum corporibus euanescere. Adhibentur primò infirmis aliquot clysteria ex succo bryoniæ & Merculiaris, oleo & sale concinnata, quibus patiens tum gelu, tum materias viscidas copiosè purgari videbit: mox cum oleo amygdalarum dulcium, vel mali aurantij coleis, mane diluculo, cantharidum præparatarum grana quinque, vel sex iuxta corporis naturam capiet. Cantharides autem per horas 24. in aceto infundantur, deinde exiccentur, & in puluerem redigãtur. Hic enim earum præparationis modus est. Huiusmodi auxilijs strumarum materias, vrinas euacuari compertum est. Obseruauit hoc D. Ioannes Dominicus Donnus mihique tale remedium communicauit: robustis tamen corporibus solum adhibendum censeo: ex illius enim experimento dolores adinstar parturientis circa pectinen tale præsidium commouere audiui. Alijs etiam modis & auxilijs strumæ curantur, quippe si oleo, in quo rana terrestris, talpa vel lacerta (vulgo dicitur racano) siue lacerta

magna

magna vocatà ebullierit, diu ſtrumæ, purgato corpore, linianrur, abſque dubio exiccantur, & euaneſcunt. Hæc animalia viua prius in oleo ſuffocantur, tum ad carnium ab oſſibus ſeparationem ebulliunt, & oleũ mirabile ad ſtrumas componitur. Nonnulli ad earum extirpationem cauſticis vtuntur medicamentis, quorum potentia caro aperitur, & ſtrumæ euacuantur. Componuntur hæc talia ex arſenici ſublimati drach. j. lithargyrij aur. & aluminis roccæ an. drach. ij. fabarum vſtulat. numero quinq; hæc in puluerem redacta cum frumenti farina, acetoque acerrimo miſcentur, & fit maſſa è qua orbiculi, vel placentulæ formantur & exiccantur in ſole vel furno, admouentur ſuper ſtrumas, & ſpatio horarum 24. opus perficiunt. *I. C. Baricellus.*

Fœtorem oris & corporis tollit vſus catapotiorum horum: ſerpylli, cyperi, myrrhæ ſingulorum partes æquas, terito, & cum reſina confice catapotia, & cum vino exbibe. Si è cerebro vitium eſt, nares expurgato: ſi dens eſt in cauſa, erue eum: ſi tabes, immedicabile malum eſt: ſi aliæ cauſæ ſic ſanabuntur, iuuat & apij folia virentia adijcere: colluatur & os his cum vino mixtis, ſic etiam malè olens ſudor emendatur. Exterius myrrha, iridis radix, ac roſa illita, etiam ante balneum: poſt verò moſchus, am-

bra, & zibethum. Exercitia quoque & cibi benè olentes & ſicciores, nec copioſi. *Carda.*

Non modò Galenus, verùm atque Seraphio, & plerique ſapientes, ſanguinis canini potu, canis rabidi morſum curari teſtantur, quæ autem ſit ratio apud hos non legitur. Referam tamen, quæ à Marſilio Ficino in lib. 2. de vit. produc. adducitur. Ego opinor (inquit) ſaliuam canis rabidi venenoſam, impreſſam hominis pedi læſo, per venas paulatim ad cor aſcendere more veneni, niſi quid interea diſtrahat. Si igitur interim canis alterius ſanguinem ille ebiberit, ſanguis ille crudus ad multas horas natat in ſtomacho, cum deniq; velut peregrinum deiecturo per alium. Interea caninus ſanguis iſte, ſaliuam caninã ſuperiora mẽbra prenſantem, priuſquam ad præcordia veniat, deriuat ad ſtomachum: nam & in canino ſanguine virtus eſt ad ſaliuam canis attrahendam, & in ſaliua viciſſim virtus ad ſimilem ſanguinem proſequendum. Venenum igitur à corde ſemotum, ſanguinique imbibitum, in aluo natanti, vnà cùm ſanguine per inferiora deducitur, hominemque ita relinquit incolumem. *I. C. Baricellus.*

Typographorum atramentum fuligine olei è lini ſemine & oleo conſtat, ſic æqualius eſt alio atramento atque tenuius,

niger-

nigerrimum præterea, & maximè hæret. *Cardanus.*

Corallinæ, quam plerique muſcum marinum appellant, in puerorum vermibus necandis, mira eſt virtus & efficacia. Hanc circulatores in plateis vendere ſolent, taleque remedium ad lumbricorum internecionem, ſummis laudibus extollunt. Profectò à veritate in hoc negotio haud abſunt: hoc enim cæteris medicamentis, in hac re accommodatis, excellentius eſt: experimento ſiquidem comprobatum eſt, non modò lumbricos interficere tale præſidium: verùm atque eadem die, cum aſtantium admiratione, expellere, vt iure dixit Matthiolus, quòd quandoq; viſus ſit puer, qui ex aſſumpta huius pulueris drachma centum vermes excreuerit. *I. C. Baricellus.*

Vaſa coquinaria præſtantiſſima poſt aurum, ferrea ſunt: nam & ad ſanitatem vtiliora, & cibos reddunt ſuauiores. Proxima ex argento, inde cyprio ære: nam vitrea franguntur, cætera deteriora. Plumbum enim inſipidos cibos reddit, æs amaros, vtrunque eroſiones viſcerum facit. Sed plumbum peculiariter labefactat vim inteſtinorum: quod etiam faciunt lapidea vaſa. Vtili conſilio vſus eſt, qui plumbum album illiuit æri, nam amaritudinem ſuſtulit, candorem addidit: nec

ipſum ob tenuitatem nocere poteſt. *Cardanus.*

Aperiam electiſſimum præſidium, quo in labiorum, manuum, capitumque mammillarum fiſſuris ferè millies vſus ſum. Sumito Lithargyrij argent. myrrhæ, Zinziberis an. vnc.j. redigantur omnia in puluerem ſubtiliſſimum, & ex cera recenti, melle, & oleo oliuarum ad ſuffic. fiat vnguentum. Vſus talis eſt: primò liniantur fiſſuræ ex humana Saliua, mox deſuper in tela extenſum applicetur vnguentum, ita equidem paucis diebus ſanantur. *I. C. Baricellus.*

Epiſtolarum vſus, & ratio obſignandi tam vtilis eſt, quam etiam neceſſaria. Si igitur adſit ſigillum, antequam cera imponatur, charta ſub & in capillamenta diuaricanda eſt, inde cera tolli non poteſt vlla arte, quin capillamentum pereat: dignoſcitur ergo apertâ epiſtolâ ex aduerſa ſigilli parte fraus. *Cardanus.*

Ægyptiorum aliquot ad quartanam febrem ſecreta experimenta. Ex ſecretis experimentis, quæ ad febres quartanas Ægyptijs familiaria ſunt, hoc pro ſelectiſſimo remedio habent, ægrotis decoctum ex menta paratum ad ſemilibram, calidum cum ſpolio ſerpẽtis puluerizati binis drachmis ante acceſſionem per horam propinare.

Alij

Alij cum decocto aſſati tempore acceſſionis vomitum procurant cum fælici ſucceſſu. Sunt & nonnulli, qui ante acceſſionem pilularum drachmam exhibent. Hæ ex agarici, gentianæ, caſtorei, myrrhæ, rutæ an. drach. ij. piperis longi, calami aromatici, croci an. ſcrup. IV. theriacæ antiquæ drach. iij. conſtant, & cum ſyrupo de granat. dulcibus conficiuntur. Alijs vſitatius eſt, exhibere drach. agarici, cum myrrhæ ſcrupulo, diſſolutam in pulegij decocto. *Ex Alpino de Med. Ægypt.*

Si vis incolumem, ſi vis te reddere ſanum;
Curas tolle graueis, iraſci crede profanum.
Parce mero: cænato parum, non ſit tibi vanum
Surgere poſt epulas. ſomnum fuge meridianum,
Nec mictum retine, nec comprime fortiter anum.
Hæc bene ſi ſerues, tu longo tempore viues. Ex Schola Salernitana.

Vlmi ac perſici folia præter tempus decidentia, peſtem in omni iumentorum & pecuino genere prædicunt: nam corruptionem cibi ſignificant: hæ autem arbores, celerius ac facilius frondem amittunt. Eo enim perueniſſe vitium in plantis conijcimus, at minore quam vt folia decidere cogantur, pecudes primum, inde iumenta pereunt. Forſan & folia ob aëris corruptio-

nem decidunt: ergo animalia cum prona ſint capite, facile iniuriam à terra exhalantem ſentient. *Cardanus.*

In grauidis mulieribus, cum grandi morbo affliguntur, magna cautela ſolent medici medicamenta euacuantia eligere: vel enim haud porrigunt, ne conceptum diſperdant, & matrem occidant, vel mitiſſima & benigniſſima propinant. Multi Rhabarbarum, ob eius caliditatem & amarulentiam recuſant: ſed perperam quidem, quando cidonio correptum, inter electiſſima & benigniſſima connumerari debeat. Referam qua induſtria à Ludouico Mercato præparetur. Sumantur cotonea ab interraneis repurgata, & in partes diuiſa (ſed ſuperſtite pellicula, quæ valde eſt odorata) in aqua donec tabuerint ebulliant: mox per linteum colata & expreſſa, optimo ſaccaro coquantur, & dum id fit, adijcies ad lib. 1. huius conditturæ, vnc. j. Rhabarbari. Doſis cuius ſit vnc. j. vel- Aliud cotoniatum componitur, quod eſt gratius, & abſque moleſtia efficacius euacuat. Diuidatur cidonium & ſublatis ſeminibus cum folliculis partium cauitatis puluere optimi Rhabar. negligenter triti ac drach. j. vel j. aut ij. impleantur, vel ſi affectus poſtulauerit agarici tantundem, vel foliorum ſenæ, mox vniantur cidonij partes,

pagy-

pagyróque inuoluantur, & ligata in clibano, vel furnello coquantur ad perfectam coctionem: postremo abiectis medicamentis internis, pulpa manducetur. Hoc profectò medicinæ genus securè euacuat, & viscera omnia corroborat. *I. C. Baricellus.*

Si tibi deficiant Medici, Medici tibi fiant
Hæc tria: mens hilaris, requies, moderata diæta. Schola Salernit.

Quidam superstitiosi collo appendebant chirographum ad febres, iubebant singulis accessionibus quasdam preces effundere, post tertiam accessionem iubebant bene sperare. Quis non videt ludum? Fides primum plurimum potest: deinde in acutis iam morbo adulto, vix potest fieri quin morbus mutetur, *Ex Cardano.*

Sit breuis, aut nullus tibi somnus meridianus.
Febris, pigrities, capitis dolor atque catarrhus,
Hæc tibi proueniunt ex somno meridiano. Ex Schola Salern.

Quanta sit seminis efficacia, in audacia hominibus comparanda, nullo alio medio securius cognoscitur, quam castratorũ naturam considerare. Hi profecto statim atque testibus priuantur, animi robur amittunt atq; mansuescunr: siquidem & à spirituũ copia & calore potissimũ nascitur auda-

cia, quæ in testium natura valde spongiosa generantur, & ab ijs in corpus deferuntur. Ob id Galenus, in lib. 1. de semine, semen soli comparauit, quòd suo fulgore orbem illustrat; iuxta cuius fulgores semen, & spirituum & caloris potentia ferè corpus illustrare admonemur. *I. C. Baricellus.*

Pestilentiæ indicia sunt, pestis in animalibus, quod illa cum prona sint ore, magis attrahant impurum terræ halitum, atque ob id magis ac celerius offendantur: maximè humida natura, vt oues, inde boues & sues. Minùs his capræ, equi, & multo minus canes. Et hæc cum in talibus perseuerat, facilè transit ad homines. Dictum est aliâs, quòd ex aduerso multitudo reptilium, & ranarum, & serpentium, tum muscarum, indicium est futuræ pestis. Et mox è veris tempore cum ignes vagantur in aere. Et æstus nubilosa ac torrida absque ventis. Cumque multum pluit magno succedente calore, putrescit aqua, generaturque lues. Et locustarum agmina cùm perierint, periculum non leue corruptionis aeris afferunt. Et regiones proximæ laborantes peste, periculum minantur, & maximè cum orientales fuerint. Solet enim pestis vt reliqua, quasi motu cœli diurno, ab oriente in occidentem procedere. Et soni inconditi noctu, &

voces

voces quasi hominum mortuorum, & terræ motus, & deliquia luminarium, & inundationes, signa & causæ sunt eius: sicut & annonæ penuria, & bella & geminorũ partus quasi natura supplere nolente, & puerperarum interitus. *Cardanus.*

Taxus inter plantas virulentiam habere maximam videtur, qui enim sub istius vmbra dormire audebit, in grauem affectionem incidet. In baccis autem venenũ potissimum viget. Nam à viris comestæ, ventris profluuia, atque funesta pericula mouent: boues earum esu moriuntur, quemadmodum & pecora si fortè has comederint. Aues verò istarum esu minimè moriuntur, pennarum autem color in nigridinem mutatur. *I C. Baricellus.*

Lapis Chelidonius à plerisque maximè extollitur: præsentaneum enim epilepticis reputatur remedium, adeò quod non pauci istius vsu à tanta morbi ferocitate liberati sint. Ferunt in Autumni principio, luna crescente, hunc lapidem à ventre hirundinis extrahi, & contritum aliquo liquore epilepticis in potum propinari: quippe facultatem retinere dicitur, tenacem, & viscidum humorem, qui causa caduci morbi, exiccandi. Multi chelidonium non solum esu, sed etiam sola suspensione, Epilepticos à proprietate sanare cõtendunt. *Ex Lemnio*

Obſeruatum eſt, quod ſi ſplendente ſole tegulæ guttas ad impluuia per vices dimiſerint, tanquam pluuia iam paruo temporis ſpatio proceſiſſet, imbres promittunt, non iã ambiguo vel fallaci ſigno. *Cardanus.*

Nubium quoque formam inſpicere decet, nam humiles citò pluuiam caſuram nuntiant, tardè ſublimes, magnam & diuturnam denſæ, paucam & breuem raræ: tenuem quoq; & diuturnam, quæ admodum denſæ ſunt, ſed altius poſitæ iam cadere incipiunt. *Idem.*

Quatuor ex vento veniunt in ventre retento,
Spaſmus, hydrops, colica, & vertigo, hoc res probat ipſa. Ex ſchola Salernitana.

Licet vitrum ſolum ab adamante, cũ plicabile haud ſit, diuidi inueniatur, tamen alia induſtria etiam cõpertum eſt, illud poſſe diuidi. Ego hoc artificio vitrum diuido, caſuq; hoc mihi notuit. Habebat amicus quadam die cyathum vitri vino ſublimato, ſiue aqua vitę ſemiplenum, aquam in flammam, accenſa candela, reddidi, vt vinum ſublimatum accendi ſolet, conſumpta autem flamma, cyathus in medius diuiſus eſt, atque eo potiſſimum loco, quem aqua ſupernatans attingebat. Ita ex curioſo experimento, vitrum diuidere apud alios amicos non ſemel valui. *I. C. Baricellus.*

Fungorum malitia, ex multorum experimen-

perimento, plerosq; vita priuauit, quia autẽ homines ab illorũ esu ob luxus abstinere nequeunt, referam quid à Galeno, tanquã arcanum, pro istorũ virulentia extripanda, seu superãda annotetur. Erat in Mysia medicus, qui homines penè suffocatos ab esu fungorum ad vitam ducebat, remedioq; tanquam arcano quodã vtebatur: hunc precibus exorauit, vt tantum auxilium aperiret; stercus gallinaceum ille adduxit, quo contrito ad læuorem vtebatur, & cũ oxycrato, aut oxymelite propinabat infirmis, qui celeriter omnes adiuti sunt. Hoc vsus fuit mox Galenus, & verum inuenit: nam qui præfocabantur, paulò post vomebant pituitosum humorem omnino crassissimum, & exinde planè liberati sunt. Insuper Mysiꝰ ille vtebatur eiusmodi pręsidio in diutino Coli dolore cũ oxymelite, ꝓpinato vino vel aqua, cũ felicissimo successu: ob id Galenꝰ ex Coli longo dolore spasmo correptos, tali remedio quosdã ꝑsanauit: nã & hoc colicũ dolorẽ aufert, qui causa spasmi est. *Ex Gal. 16. simpl. cap. 10.*

Crabones si ante occiduas atlantides apparuerint, longam notant hyemẽ & futuram etiam pluuiam. Anas si ad finẽ hyemis pectore rubet, adhuc hyems producetur: si candida est, finis frigoris instat, & ver proximum est. Partus vaccarum frequentes, aut earũ mors, pluuias sequẽte hyeme nuntiat. *Cardanus.*

Tu nunquã comedas, ſtomachũ niſi noueris eſſe
Purgatũ, vacuumq́ cibo, quem ſumpſeris antè.
Ex deſiderio id poteris cognoſcere certò.
Hæc ſint ſigna tibi, ſubtilis in ore ſaliua. Schola Salernit.

Gallina varijs vocibus ad varios animi affectus ſignificandos vtitur. Nam cum pullos vocat crocitat: cùm pullos ad fugam ob miluum hortatur, extendit vocem in lõgum & extollit: cùm capitur, clamat anxiè, repetitque quaſi ſingultiens: cùm ouum parit, exultat: cum pullos deducit, alia voce aſperiore, craſſiore atque rariore vtitur, quã cũ illos ad ſe vocat: cũ cubat voce ſubmiſſa & ab alijs diſſimili vtitur. *Ex Cardano.*

Papauer agreſte mirabiliter Pleuriticum morbum ſanare. Licet Galenus papauera dolores mitigare, atque inter anodyna reponi in multis locis referat, tamen agreſte Pleuritidem, *in lib. de remed. parat. facil.* confeſſus eſt perſanare. Aperiam quod à monacho empirico mirabili ſucceſſu in hoc morbo factum vidi. Hic folia & ſemina agreſtis papaueris, in vmbra exiccata, ſecum continuo deferebat: cum autem quis laterali morbo infeſtabatur, eius conſilio ſanguinem à brachio ſecundum canones extrahi curabat, mox decoctum foliorum in brodio pulli collatum, cum drach. j. vel j. ipſius papaueris ſeminis capillamentorum,

quæ

quæ post colaturam addebantur, capiebat tepidè, & ieiuno stomacho. In loco doloris hæc Epithemata adhibebantur. Parabantur ex puluere roris marini, & salis, farina & aqua tres placentulæ, quæ super calido latere in firmam substantiam ducebantur: his locus, epithematis instar, fouebatur, & breui tum dolor euanescebat, tum etiam apostema rumpebatur, & infirmus ad salutem, magna admiratione, pristinam redibat. *I. C. Baricellus.*

Ex iuuenco strangulato apes fiunt, scorpiones ex basilico, bufones ex elixatura anatis sub dio exposita. Et vt ex iuuencis apes, ita ex asinis vespæ, ex equis scarabei, ex malis locustæ fiunt. *Cardanus.*

Ex magna cœna, stomacho fit maxima pœna.
Vt sis nocte leuis, sit tibi cœna breuis. ex Schola Salernit.

Odoris & saporis magni sunt, quæ ex gariophylis, cinamomo, & gingibere fiunt. Hæc tria si in aqua ardente infundantur, linteo contrita, inde patera ea colluatur, vino quod bibitur multum addunt: iucunda & mansueta sunt, quæ nuce myristica & amomo horum loco cõdiuntur: maximam enim suauitatem, tum saporis tum odoris acquirunt, si rectè temperentur. *Cardanus.*

Qua industria venenum assumptum descẽdisse ad gibbum hepatis, vel intestina

cogno-

cognoſcere valeamus. Aſſumpto veneno ſiue clam ab aliquo propinato, nulla maior difficultas medicis exoritur, quam veneni reſidentiam reperire, vt ritè ea adhibeantur præſidia, quæ talia oppugnare reperta ſunt. Si enim venenum fuerit in ſtomacho, vomitum proderit excitare; ſecus autem ſi tranſiuerit hepatis regiones. Hic eſt modus: Ponatur oui vitellus cum albugine, cum infirmi lotio in matula; ſi infra paucas horas nigreſcit, & fœtet, venenum ad iecoris gibbũ peruenit; ſi verò rugetur, citrineſcat, & non fœteat, inteſtina haud tranſiuit. Hinc indicationem corradimus, veneno ad inteſtina traiecto, non conferre vomitum prouocare. *Ex Bayro.*

Plantas aſpectu conſimiles, cõgeneres retinere virtutes. Multis experimentis comprobatum reperio, plãtas, frutices, & ligna, quæ quadam aſpectus ſimilitudine conueniunt, congeneres retinere vires. Sic multi medicorum peritiſſimi loco ligni Guaiaci Buxo vtuntur; loco ſalſæ parillæ, ſmalace aſpera; loco ſalſafras, ſylueſtri fœniculo; pro polypodio, filicem eligunt, pro tipſana, hordeum; pro myrto, liguſtrum; pro ebulo, ſambucum; pro china, radicẽ noſtræ arundinis, pro Rhabarbaro, hippolupathũ. Hæc enim facie corporeq; aſſimilantur, proinde conſimiles vires habere exiſtimantur. *I. C. Baritellus.*

Vt

Vt homines mortui videantur: vinum cum ſale ad conſumptionem partis tertiæ coquito, inde vinum illud accende, ſublata omni luce alia, & ipſis immobilibus manẽtibus, ſpeciẽ mortuorũ prębebunt. *Cardan⁹.*

Homines vt nigri videantur. Referunt etiam, aſtantes Æthiopas videri, ſæpiæ atramento: addunt quidã calchanto, alij addita ærugine, ſi nulla alia lux adſit. Oſtẽdit enim lux quæ ſunt, & ſub proprio colore: lux quoque ſimilis ei in quo accenditur, cùm repẽtè ardet. *Idem.*

Carnes coctæ vt crudę videantur. Carnes quoque coctæ crudæ videntur, inſperſo agnino ſanguine ſicco: ſoluitur enim & carnium colorem mutat. *Idem.*

Piris ea facultas ineſt, vt inter cæteros fructus, quam maximè impinguent: quare ſues ipſorum eſu magis quam quorumlibet aliorum fructuum pingueſcunt. Laudatiora ſunt odorata & dulcia, & ex ipſis cocta, quã cruda meliora. Coquenda verò cum fœniculo, aniſo & ſuccharo. Arnoldus Nouicomenſis in ſchol. Salernit.

Magna eſt efficacia dentis Apri in curanda Cynanche: ſi enim puluis eius oleo linino excipitur, ac locus affectus tangatur cum pennæ extremitate, ex Arnaldo & Auicenna habetur, hunc morbum præſentiſſimè curari. In curanda pleuritide non

minor est virtus eius: propterea solent practicantes admiscere tum syrupis, tum electuarijs huiusmodi dentis puluerem, benè noscentes ab occulta, & aperta proprietate talem puluerem prodesse: quippe extenuandi & exiccandi vim habet. De hoc dente mirum scribitur: occiso enim apro recenter, ipsius dentes adeò feruere referunt, vt capillos admotos nonnunquam combu-rant. Id accidit, quia Apri calor magnus est: dumque occiditur, ira & exercitatione feruescit; proinde dentes propter densam substantiam, magnam recipiunt caliditatem, cuius indicium spuma est. *I. C. Baricellus.*

Vt omnia quæ velis, colorem videātur habere, quem velis. Vt omnia sub quocunque colore velis, certissimè videas, laternam construe totam quidem ex lucidissimo cornu atque perspicuo, sed maxima parte candido, vna verò colore quo vis imbuta: atque sublatis alijs luminibus partem coloratam versus, eos verte, quos vis eo colore videri, & tota quidem domus splendida videbitur: hi verò nigri, vel virides. *Cardanus.*

Asparagos in arundinetis satos mirabiliter excrescere. Maximus est inter arūdines & asparagos naturalis consensus: idcirco qui asparagos & pulcriores & corpore maiores atque sapidiores habere optabit, hos

hos in arundinetis ſeminare procurabit, quippe ex naturali ſympathia mirũ in modum excreſcere, & germinare animaduertet. *I. C. Baricellus.*

Pro certò etiam habetur, pectines plumbeos nigros efficere capillos. Dum effigiem Franciſci Gallorum regis intueremur, cana barba, nigerrimis capillis hoc animaduerſum eſt. Ratio id docet: pingue enim plumbi humidum, capillis inhærens, hoc poteſt. An verò tutum? certè non, Minus noxium ſi prætenues ſint dentes pectinis. Quæ autem non ex radice tingunt, inutilia: pleraque etiam praua. Pectines cornei, coruinorum ouorum oleo imbuti, & ligni Indici interioris, ſalubriter quod propoſitum eſt efficere poſſunt. *Cardanus.*

Gallinarum adipem ſaccaro obuolutam, non modo à corruptela præſeruari, verùm etiam oleum reddere pretioſiſſimum. Mira equidem eſt ſacchari virtus in conſeruandis à corruptela adipibus: Cum quadam hyeme filia mea gallinarum adipes collegiſſet, atque ſuccharo albo benè conuolutas in vaſculo repoſuiſſet, æſtate ſubſequenti, illud oleo ſemiplenum reperit, adeò pellucido, vt cum ad me deferret excellentius haud inueniri poſſe iudicarim. Hoc illa pro exornãdis capillis vteretur, tamen pro mitigandis corporis doloribus, pro carnis ſcabritie tollen-

da, alijsque infirmitatibus vtilissimum esse censeo. Quòd autē mirabilius iudicaui adipes illas post multos annos conseruatas, eodem colore atque odore, quo recentes in vasculo fuerunt clausæ animaduerti. A quodam chirurgo amico etiam intellexi, humanam adipem sucharo cōuolutam, per longissima tempora à carie, & rancido præseruari: quod si ita est, credo in omnibus animantium adipibus id euenire. Quare Magnatum corpora cōdienda melius hic charo impleta, quam aromatibus posse conseruari crederem, eò magis, quia hoc præsidio corpora in proprio calore, vt de adipe dixi, persisterent. *I.C. Baricellus.*

De melancholis & vitandis cibis:

Persica, poma, pira, & lac, caseus, & caro salsa,
Et caro ceruina, & leporina, bouina, caprina,
Atra hac bile nocent, suntq; infirmis inimica.

Ex schola Salernit.

Tantam habet Mandragora inducendi soporem efficaciam, vt eius poma vel comesta, vel odorata, quandoque cataphoram exsuscitent. Illud autem mirabile est, vitibus Mandragoram complantatam, propriam ijs naturam infundere, adeò quod vinum ex huiusmodi confectum soporem bibentibus inducere consueuerit, vt Rhodiginus annotauit. De Mandragora Iulius Frontinus historiam scripsit, stratag. 2.

Annibal à Carthaginenſibus contra Afros miſſus fuerat, qui cum ſciret gentem illam vini auidam eſſe, in quibuſdam vini dolijs, quæ in caſtris habebat, Mandragoræ copiam coniecit, inde leui commiſſo bello, ex induſtria ceſſit, fugamque ſimulauit. Barbari occupatis caſtris, auidè medicatum merum cum hauſiſſent, in cataphoram lapſi ſunt, & ab Annibale trucidati. *I. C. Baricellus.*

Autores habeo Nicolaum & Guiliclmum Varignam, clinicos medicos, chirurgumque Petrum Argelatam, ſi ſponſus per nuptialem annulum mingat, ſolui ab impotentia Veneris & faſcino. Quod ſi in amantis calceum ſtercus amatæ ponatur, vbi odorem ſenſerit, ſoluitur amor: nam odioſa eſt hæc res, & ab Ouidio deducta in primo libro de remedio amoris:

Illa tuas redolent Phineu medicamina menſas,
Non ſemel eſt ſtomacho nauſea facta meo.

Et rurſus

Tunc animo ſigna quæcunque in corpore menda eſt,
Luminaque in vitijs illius vſque tene.

Nec minus naturale eſt poſtquam cogitatio abrupit ſpem Veneris, ea confirmata, per veriſimile auxilium illum libe-

liberari: adiuuat interim copia ſeminis, familiaritas ſponſæ, & verecundia iam ſopita. *Cardanus.*

Mellis vſum, vitæ hominibus inducere diurnitatem. Inenarrabili quidem potentia mel, corpora vt à corruptione custodire valeret, à natura productum eſt: propterea Plinius lib. 20. maximè huius virtutem admiratur; nam hoc corpora computreſcere non ſinit; ſiquidem multi ſenium longum mulſi tantum intinctu tolerauêre. Celebre eſt mellis exemplum in Pollione, qui centeſimum annum exceſſit: hic enim ab Auguſto interrogatus, qua ratione, & animi & corporis vigorem maxime cuſtodiſſet, hoc reſpondiſſe fertur: Melle intus, foris oleo. Proditur etiam Corſicæ inſulæ populos, ex aſſiduo mellis eſu, vitæ acquirire diuturnitatem, cuius rei licet Diodorus non comprobet exemplum eò quod mel Corſicum peſſimum cenſeat, tamen nō per hæc vſum mellis ad vitæ productionem improbauit. *I. C. Baricellus.*

Oua quænam bona.

Regula presbyteri iubet hoc pro lege teneri,
Quid bona ſint oua, candida, longa, noua.

Arnoldus Nouicomenſis in Schola Salernit.

Mortuos circa ſepulchra videri in agris, & maximè iugulatos, nec profundius

defossos, quique in vita fuerint atroces, per noctē & pręcipue ab his, qui hoc nō ignorarint, naturale prorsus est: cū humidū corpus hominis ac recens, vaporem pro magnitudine sua constantem emittat, qui hominis refert effigiem. Vnde olim concrematis corporibus, & in vrna conditis, nihil tale videbatur. *Cardanus.*

Vuæ quæ albæ sunt, vehementius aluum turbant & subducunt, magisque stomachum inflant quam nigræ. Omnes verò ciborum appetentiam excitant, & venerem. Conuenit cum eduntur, membranam & nucleos expuere, quod difficulter conficiantur, sicut docuit *Galenus lib. 2. de anim. facul. cap. 8. Arnoldus Nouicomensis in Schola Salernit.*

De cibis benè nutrientibus & impinguantibus.

Nutrit triticum & impinguat, lac, caseus infans,
Testiculi, porcina caro, cerebella, medullæ,
Dulcia vina, cibus gustu iucundior, oua,
Sorbilia, & ficus maturæ, vuæque recentes.
Schol. Salern.

Scripsit Aristoteles 6. de histor. animal. cap. 1. Gallinas toto anno oua parere, exceptis duobus mēsibus brumalibus. Hoc tamen tempore quo à fætura desistunt, seminis vrticæ & canabis auxilio faciliter gallinæ fæcundantur: si enim in cibis istorum

ſemina ſicca comederint, proculdubio tota hyemis tempeſtate, non modo calidis temporibus oua parient. Hæc profecto earum corpora calefaciunt, & ad fæcunditatem diſponunt. *I.C.Baricellus.*

De boni vini proprietatibus

Vina probantur odore, ſapore, nitore, colore.
Si bona vina cupis, quinque hæc laudantur in illis:
Fortia, formoſa, & fragrantia, frigida, friſca.
Schol. Salern.



NATV-

NATVRÆ ARCANORVM, SYMPATHIARVM ET ANTIPATHIARVM INSIGNIVMQVE medicamentorum

LIBER SECVNDVS.

Cordato Lectori.

A Mizaldo citata ridicula pleraque & in his locis inusitata consultò omisimus: eorum autem loco artificiosa & magis vtilia adiecimus. *Si* quæ ex vsu tuo sunt, vtere atq; Deo diligentiæque tuæ gratias age.

SI cui annulus in digito intrusus, digito tumente ita hæreat, vt auelli non possit, filum acui indito, sub annulo anum ac filum ducito: parte altera filum digito circumuoluito, atq; toties & adeò diligenter,

vt totus nodus ac pars digiti nodum & annulum interiacens filo circumtegatur, nec pars vlla videri poſſit: demum acu ſubducta reliqua parte circumages filum velociter: ita annulus ſuper filum ſenſim translatus nodum ſuperabit, exibitq;. Sed caue ne moram interponas, nam facilè digitus adeò intumeſcet, vt dolore excitato annulus educi nequeat. *Cardanus.*

Mira equidem, ex abdito naturæ ſcrutinio, in vita, morteque infirmi præſagienda, vrticæ virtus & potentia eſt. Si enim recens planta extirpetur, ac 24. horarum ſpatio in ægri lotio aſſeruetur, vtique ſi viridis colore permanebit, ex multorum experimentis, ſalutem & vitam infirmi ſignificare dicitur: ſin autem haud viridis cuſtoditur, coloremq; mutabit, mortem vel graue periculum denotare. *Ex Caſtore Durante.*

Afferam Quercetani, Croci metallorum compoſitionem, potẽs medicamentum tam vomitiuum, quàm purgatiuum ſimul, varijſque affectibus accommodatum. Præparatur cum æquis partibus Magneſiæ Saturninæ, & Nitri inuicem mixtis, & inflãmatis in quodam crucibulo, vt vtar artis vocabulis, & remanebit quædam materia calcinata in colore Hepatis, quæ pulueri-zata, rubicunda apparet inſtar croci Martis, quæq; dulcoranda eſt. Doſis grana x. vel xij.

xiȷ. cum vino aut alio liquore. *I. C. Baricell.*

Poliri ſolet charta corneolo lapide magno aut onyche: nam denſatur ex hoc, & præſtantior euadit. *Cardanus.*

De lethalium venenorum remedijs.

Allia, rutæ, pyra, & raphanus cũ theriaca nux,
Præſtant antidotum contra lethale venenum.

Ex Schol. Salernit.

Noſtra ætate ſcribimus in pergamenis & charta, quę ex linteis fruſtis lino confectis, longoq; vſu attritis conficitur hoc modo: Madeſcunt hæc aquã, quæ perpetuò ex euripis deriuatur, tunditurque ligneis piſtillis quæ aquæ curſu mouentur: inde æreis tabulis ex filis tenuiſſimis confectis, poſtquam iam vt puls tenuiſſima, candidiſſima euaſerint, excipiuntur, reponunturq; inter lintea fruſta lanea, quæ filtra ſolemus appellare: ſunt autem ex craſſiore lana. Poſt vbi concreuerint, madeſcunt aqua, in qua coriorũ retrimenta fuerint diſſoluta. Quod ſi addatur alumen quod vocant rochæ, fiet ſolidior atque ſplendidior ac longè melior. Siccatur autem poſtmodum extenſa in ſole. *Cardanus.*

In conſtruendis pingendiſq; ſolaribus horologijs, non modo lineam meridianam opus eſt inuenire, vt horum tempus fidele reperiamus, verùm atque ortum & occaſum, Boream & Auſtrum tum Æqui-

noctia & Solstitia: in ijs enim solaris motus quam maximè variat. Ego quidem, vt labores fugiamus, tale excogitaui artificium. Globum planum ex tabula lignea formato, in cuius medio stylus ferreus situs sit; diuidito mox globum lineis, ex centro ad extremum ducendo illius in 24. portiones, demum in globo pice horas signato, & vltimo in pariete contra solis radios affigito. Vt autem ex solaribus vmbris diei horas venari possis, Horologium portatile aspicito, globumque ad horam illam accommodato: ita profecto absque alio auxilio, celerrime horologium vmbratile in pariete habebis. In Æquinoctijs & solstitijs eodem portatilis horologij auxilio, facillimè ad horarum æqualitatem globum reducere poterimus *I.C.Baricellus.*

Allia qui mane ieiuno sumpserit ore,
Hunc ignotarum non lædet potus aquarum.
Nec diuersorum mutatio facta locorum,
*Macer libr.*1. *cap.*5. *ex annotationibus.* Schola Salernitana.

Semina vrticæ, vel fici surculi, vel mellonis frustum, vel si dum caro coquitur frigidam superfundas, & maximè si parum ex iure illam exemeris, sæpiusque repetas, carnem coqui celeriter faciunt. *Cardanus.*

Exin-

Ex infantium pituita, in capite redundante, plerique ſuccedunt morbi inter alios morbus comitialis exoritur, qui à multis puerilis vocatur quod ijs vt plurimum eueniat. Vt autem infantes ab huiuſmodi præſeruarent Pæni, illorum venas capitis lana ſuccida inurere, pituitamque fluentem hoc præſidio compeſcere conſueuerunt. Æthiopes infantes editos, ab ipſo quoque natali die, in fronte adurunt, ita profectò tum capitis, tum oculorum tumor ſiſtitur. *I. C. Baricellus.*

Lucidus ac mundus ſit ritè habitabilis aer,
Infectus neq; ſit, nec olens fœtore cloaca. Schola Salernit.

Conclauia frigida fiunt, ſi pumice parietes illinantur: nihil enim caloris retinent aut reddunt. *Cardanus.*

Aperiam artem qua flores Antimonij, ſiue ſtibij non ſemel extrahere è plumbo valui, quo præſidio in multis corporis affectionibus fœliciſſimo euentu vtor. Capito plumbi campanam, è qua aromatarij roſarum aquam ſtillatitiam extrahunt: hæc habet æris fundum, tu verò ex argilla eligito, quod acerrimo aceto ſupra medietatē implendū cōſulo, eaq; induſtria, qua roſæ ſtillantur, in aceti deſtillatione

carbonibus bene ignitis, agendum est: cau[illegible] tamen ne totum stillet acetum, ne aqua ex tracta vstionem sentiat. Hæc aqua auri co[illegible] lore est, sapore verò Sacchari, & mellis, mi[illegible] rabilis tamen tum in potu, tum extrinsec[illegible] vsurpatâ, ob stibij flores è plumbo extractos vomitu & aluo purgat, ob id frigidis affe[illegible] ctionibus, obstructionibusque vtilissima: in vlceribus putridis, fætidis, acoribus, scabie herpete exedente, & alijs huiusmodi, maximi est valoris. Dosis in potu sit vnc. ij. Deforis ad placitum. *I. C. Baricellus.*

Mel coctum quod iucundum est, & leuiter mouet ventrem, in vase mundo mel purissimum coquitur: assidue circumagitur ac mouetur ligno, cum spissum & tenax fuerit, circumagitur in ferro vel ligno, oleo illito, ducitur in modum pinidiarum: sic enim vocant Saccharum eodem modo coctum & agitatum: spargitur præcisum super marmoream tabulam, farina prius substrata. Sunt qui in fine addant piper aut anisum aut cinamomum: ego zinziberi albo nihil protulerim sed modice. *Cardanus.*

Non acidum sapiat cereuisia, sit bene clara,
Et granis sit cocta bonis, sanis ac veterata.
Schol. Salern.

Ambarum (vulgo Ambragrysea) bituminosis fontibus, qui in maris profunditate existunt, oritur. Hoc autem primò liquidum

quidum eſt, cum verò aquarum impetu ſurſum rapitur, ex aeris frigiditate, condenſatur, & Ambarum fit: ſiquidem in maris concauo, pleraque mollia teneraque obſeruantur, & inter alia Corallium, quod ex aqua exemptum, citiſſime lapideſcit. In Ambaro illud mirabile, quod cum vino propinatum, confeſtim notabilem inducere ebrietatem multis experimentis comprobatum ſit. *Ex Simeone Zethi Græco autore.*

Perſica aut chryſomela vel pruna cæteraque eiuſmodi ſeruantur, maximè in calidioribus regionibus, tum quia exactius concocta, tum quia celerius torrentur, antequam putreſcant: ob id etiam æſtate & ſerena & ſicca ſi diuiſa in ſole per diem exponantur: inde leniter iulebo, id eſt Saccharo purgato & cocto cum aqua donec conſiſtat, illinantur, atque in ſole torreant: rurſuſque illinantur donec obducta craſſiore cruſta ſimul aqueum humidum totum abſumatur, & Sacchari ſubſtantia vbique permanens & ſeruet ſimul & iucundum guſtu reddat. Candida hæc vocantur, ſuntque dura, & plerumque, ſi rectè tractentur, perſpicua pellucidaque. *Cardanus.*

Maxima videtur inter polypodium & cancros antipathia, eò quod ſi polypodium ſuper cancrum abieceris vi-

num, breui ſpatio tum pedum cortices, tum vngues ille eijciet: tanta eſt iſtius plantæ in illum particularis virulentia & efficacia. *Ex Matthiolo.*

Mirabile eſt Ægyptiorum ſtudium in extrahendo lapide à veſica abſque inciſione, ligneam cannulam accipiunt, octo digitorum longitudine, & digiti pollicis latitudine in opere abſoluendo. Hanc colis canali admouent, fortiterque inſufflant; ne autem flatus ad interiora perueniat, extremum pudendi manu altera perſtringunt, foramen deinde cannulæ claudunt, vt virgæ canalis intumeſcat, latiorque fiat. Quo facto miniſter digito in ano poſito, lapidem paulatim ad canalem virgæ, atque in eius vas extremum deducit. Qui vbi præputio lapidem appropinquare ſentit, cannulam à virgæcanali fortiter, impetuq; amouet, & lapis extrahitur. *Ex Alpino.*

Expertus ſum braſilium in ſcobem redactum immiſſum oleo tartari ſtatim efficere atramentum rubrum proſcribendo, & quod fuci vim obtineat. *Cardanus.*

Mirabilis eſt conſenſus, quem anguillæ cum Aquilonibus habent: ipſis enim ſpirantibus ſex dies ſine potu, & aqua

aqua has viuere fertur, cum Austris autem dissentiunt, quippe his flantibus diu sine cibo, & aqua illæ viuere non possunt. *Ex Bodino in Theat.*

Singularis equi testiculorum ad mulierum secundas depellendas est proprietas. Gensêrus in epistola testatur, rusticum quendam, quinquaginta in puerperis feliciter hoc vsum fuisse remedio. Vsus est & Horatius Auge. in pluribus mirabili euentu: præstantissimum idcirco a grauibus autoribus iudicatur remedium, nam & pluribus iam deploratis profuit. Capiuntur testiculi equi castrati, & frustulatim concisi in furno exiccantur, quorum puluis quantum capitur tribus digitis è iure bibendus datur in necessitate, idque si opus est, bis aut ter repetitur. *I. C. Baricellus.*

Corium ceruinum, tametsi bubulo tenuius, præstantius tamen ad arcendum frigus, naturæ proprietate. *Cardanus.*

De vsu cereuisiæ.

De qua potetur, stomachus non inde grauetur, Schol. Salern.

Multis experimentis comprobari

 au-

audio ſuccinum parturientibus drach. ſemis pondere ex vino albo in potu datum, mirè partum accelerare. Hoc etiam facit eius oleum, ſi gutta tantum ex aqua verbenæ parturienti propinatur. Quidam medicus (Fallopij teſtimonio) exhibebat ſcrup. j. boracis in decocto matricariæ, vel ſabinæ diſſolutæ difficulter parturientibus, miraq; faciebat. Habebat ille medicus pro arcano præſtantiſſimum hoc auxilium: tamen neſcio quomodò poſtea fuerit detectum. *Ex Andernaco.*

Admiranda quandoque ſuccedunt ſymptomata ex aquæ potu vitratæ: ſi quidem imprudenter cum ea ſemina vel oua ſerpentum hauriuntur, è quibus mox ſerpentes generantur. Genſ. in lib. 2. hiſtor. animalium cap. deranis rubetis, bufones in ventriculis inteſtiniſque hominumque, hauſta eorum genitura fieri, & nutriri probauit Iacobus Manlius in lib. experim. in cuiuſdam equitis ventriculo, exhauſta cuiuſdam lacunæ aqua, vbi erant ſemina ſerpentum, plures angues fuiſſe genitos prodidit. Leuinus Lemnius vermiculos caudatos, atque inſolita forma beſtiolas vomitu eiectus nouit. In nonnullis lacertas, pharmaco fuiſſe eductos, obſeruatum eſt, vt Gemma Coſm. vidit. Quare maxima in æquæ potu hominibus opus eſt

animaduersione, ne eiusmodi exhaustis, pernicies corporis consequatur. *I. C. Baricellus.*

Saluia cum ruta faciunt tibi pocula tuta,
Adde rosæ florem, minuuntq; potenter amorem. Ex Schol. Salern.

Mirabile est hydrargyrum, quod à multis venenum reputatur, in desperato coli dolore exhibitum, plurimum prodesse. Equidem Marianus Sanctus, ex multorum consilio, qui ab hoc lethali morbo sanati sunt, suadet, si obstructio perseuerauerit, & fæces per os extrudantur, haurire cum aqua sola argenti viui libras tres. Probat hoc ex ratione: vinctum seu duplicatum intestinum hydrargyrij pondere explicari, fæces detrudi, vermesque vbi fuerint, interimi, ægrumque liberari. Haud ab hoc dissimili auxilio quidam nobilis, post alia tentata ad morbi huiusmodi acerbitatem machinamenta liberatus est. Hic haustis olei amygdalarum dulcium sine igne extracti vnc. iij. cum vino albo, & aqua parietariæ mixtis, mox deuorata glande plumbea argento viuo illita, planè à colico cruciatu euasit, illamque ex ano absque labore reddidit. *Ex Pareo lib.* 16.

Si in ſilicem nullo compendio ali-quid inſcribere velis, oblito totum cera, inde inſcribito quod lubet, cera tamen exactè deraſa vbi literæ ſunt, vt nudus ſilex appareat: poſt merge lapidem in aceto acerrimo per ſeptem horas, & exime: at ſi pluribus horis immerſus maneat, citius cruſta excidet. Contingit enim fermè, quod in humanis corporibus, cum eſcharotica vocata medicamenta applicantur: ſupplet in aceto vim potentioris medicamenti mora, & multitudo aceti, cùm mergatur. Siccat enim & penetrat, vnde lapidem comminui neceſſe eſt. Palam autem eſt, & hoc ad alios lapides traduci poſſe, qui non ſint multò duriores. *Cardanus.*

Vide 47 et 141. A grauibus ſcriptoribus comprobatur, ſerpentes fœniculorum eſu, & ſenectam exuere, & oculorum aciem renouare. Hinc ijs affricantur oculi anguium, vt votum aſſequantur. Ex attritis fœniculorum ſeminibus, praua quædam imprimitur qualitas è qua venenati producuntur vermiculi, quorum eſu multi deuenerunt in peſſima ſymptomata, & ab alexiterijs raro adiuti ſunt, tanta huius veneni potentia eſt. Quare fœniculorum vmbelli, antequam comedantur, aperiantur, & diligenter concutiantur, vt

à ver-

à vermibus emundentur. Præſtabit aliquã-tiſper in frigida macerare. *Ex Balthaſaro Pina ſello.*

Si velis cognoſcere tigna, an vitio aliquo laborent, aurem ab vno latere admoueto, à reliquo concutito: ſi ſonus obtuſus fuerit ac inæqualis, ſanum non eſt, ſed intus teredine exeſum, aut rima diuiſum. Præſtat autem vt ſeruentur, vbi cæſa fuerint, ſtatim bouino fimo oblinirí. *Cardanus*

Lotio post menſam tibi confert munera bina
Mundificat palmas, & lumina reddit acuta.
Si fore vis ſanus, ablue ſæpè manus. Schol. Sal.

Afferam ſingularia auxilia, è quibus ad anginam & gutturis apoſtemata mirabilia contigiſſe proditur. Lignum hederæ ad gutturis apoſtemata à proprietate valere ſcribit Ioannes Marquardus: quippe obſeruatum eſt, comedentem ex cochleari hederæ ligneo, ſiue bibentem in aliquo ipſius vaſe ligneo, nunquam vel rarò in gutturis apoſtema incurrere. Rubeta cocta, & pro emplaſtro ſynanchicis impoſita, confeſtim liberat. *I. C. Baricellus.*

Sunt qui affirment, aquam ex humano ſtercore deſtillatam ardere, pinguior enim eſt, & ſatis tenuis, minùs tamen quam ex vino. Conſtat ſanè aduerſari eam bubonibus, maximè gulæ. *Cardanus.*

Fabuloſũ haud eſt, vermes in corde gene-

rari.

rari. Nam in principis cuiusdam cadauere dissecto, vermis albus pręacuto rostello, eoque corneo prædítus, cordi adhęrescere deprehensus est. Succo alij feram hanc tanquã ex indubitato remedio interimi probatum est. Alius dissecatus fuit, in eiusque cordis capsula vermis viuus repertus fuit. Aiunt multi certissimo experimẽto succo allij, raphani & nasturtij hos vermes necari, qui ex testimonio Pedemontani, in corde delitescẽtes syncopim, Epilepsiam & mortem inferre solent. *I. C. Baricellus.*

Moschus sapore amarus, odore cum teritur dentibus caput ferit, super palmam distentum croceum colorem præfert, pilis exiguis seu festucis simile quid continet, sanguinem coagulatum referens: orientalis nobilior & vesicis continetur: occidentalis infirmior nec continetur vesicis. Ambra liquescit igne: & si gladium infixeris, hæret: tenax enim est admodum. Zibethum nouum candidum est: cum inueterascit, melleum: cum antiquum est, fuscum. Commune est his tribus odorem maximum habere & iucundum. Sed zibetho maior, moscho purior, ambræ obtusior. Et horum vnumquodq; alijs mixtum modica portione plus olet, quam syncerum & multum: quo signo verè & euidenter ab adulterinis omnibus differunt: quæ tametsi mole sue, & nulli mi-

xta rei optimè redoleant, si tamen magnam eorum partem magnę ladani vel alterius rei lenè sed non immodicè olentis miscueris, hebetantur adeò, vt vix sentiantur. *Cardan⁹.*

Tanquam certum remedium, Vlmi vsus in curanda recenti Elephantiasi à Iacobo Douitetro, lib. 1. cap. 7. prædicatur. Vidit enim adolescentem tali affectu laborantem, & decoctionis vlmi vsu (factis faciendis) conualuisse. Ea quidem pro omni potu vtebatur in quolibet pastu, cum pauco vino albo, & tanti sudores mouebantur graueolentes, vt vix illos custodes ferre possent. Ita viscera purgabantur, & magna vrinæ copia excernebatur, quibus excretionibus sanus factus est. *I. C. Baricellus.*

Argenti color, albus, purus est: nec stridet sub dentibus, nec facile frāgitur, nec pingue est in superficie, & clarum sonum emittit, cum tenue est, nec scissum. Dignoscitur aurum pondere, sono, colore, igne: neq; enim in igne absumitur: & aurichalco longè splendidius ac ponderosius est: aurichalcum etiam auro illitum, si affricetur, seu æs colorem amittit: & aurichalcum denigrat cum affricatur, & asperius auro est: nec flectitur facilè vt aurum, quod omnino non tingit etiam diu gestatum: aurei autem sonum mutant, non autem nummi adulterini, nec sonus admodum clarus est in auro,

quam

quam si materia est aut ærea aut argentea. *Cardanus.*

Olaus lib. 2. rerum septentr. illos populos ob aëris frigus frequentissimè perniones experiri scripsit, qui morbus non alijs ab ijs sanatur remedijs, quam puluere pellis leporinæ. Plinius verò rapum domesticum feruens calcaneis impositum sanare retulit. Ego ex Carolo Stephano in lib. 2. de Ragrar. in quodam expertus sum remedium, & benè successit. Accipit ille ficos crematos, è quorum puluere & cera vnguẽtum parat; hoc pernionibus impositum breui liberat patientes. *I. C. Baricellus.*

Nausea nõ poterit hac quem vexare marinam
Vndam cum vino mixtam, qui sumpserit antè.
Schol. Salernit.

Libri diligenter custodiendi, ne vel ab humido corrumpantur, vel à puluere exedatur, vel ab animalibus maximè tineis aut muribus arrodantur. *Cardanus.*

Marsilius Ficinus & P. Droetus in lib. de peste, mirè hydrargyrum extollunt: si enim auellana perforatur, & extracto interiori nucleo cum acicula; argento viuo repletur & collo suspenditur, mirum in modum à peste corpora tuta reddit: ita profectò à pestifera lue sæuiente se defenderunt multi. *I C. Baricellus.*

Quoties homo semen eiaculatur.

toties partem ſanitatis amittit: audiui ex doctore medico, nec ratio admodùm obſcura eſt. *Ex anonymo.*

Fiunt & pſilotra diſtillatione virium ex metallicis in oleum. Ephelidibus verò conuenit oleum è nucleis chryſomatorum, aut perſicorum duabus partibus, atque vna ſeminum cucurbitę: detergit enim, lenit ac temperat cutem. Porrò cutis vitia emendant lacryma Arabica cum nitro rubro facinaque fabarum: hæc enim tuta. *Cardano.*

Retulit domina quædam Meſpili lignum collo appenſum mirè ab abortu grauidas defendere; idque millies à ſuis maioribus fuiſſe expertum, atque certum & rarum remedium ſemper inueniſſe ſe: ſiquidem multæ abortientes, & dolore & ſanguinis fluxu (appenſo ligno) reſtrictæ ſunt, & ab abortu ſeruatæ adeò quod in eo particularem virtutem abortum prohibendi ineſſe reor. *I.C.Baricellus.*

Panis non calidus, nec ſit nimis inueteratus,
Sed fermentatuſq; oculatus, ſit benè coctus,
Et ſalſus modicè, ex granis validis electus.
Ne comedas cruſtam, choleram quia gignit aduſtam.
Et panis ſalſus fermentatus, benè coctus.
Purus ſit ſanus, non talis ſit tibi vanus. Schola Salernit.

Reſonat

Resonat æs quia cauum intus, ob id plumbum & aurum nō resonant. *Cardanus.*

Acetum stilliticium Pythagoras magnifecit: scripsit enim eius vsu longam homines vitam consequi, & vsque ad eius extremum finem permanere integrè, & dextra valetudine. Ipse cū quinquagesimum ageret annum hoc remedio vsus est, & eius vsu ad centesimum & decimum septimum productus est & integer, & nulla vnquā aduersa valetudine tentatus: cuius optimam facultatem admiratus, consanguineis communicauit, vt illius vsum haberent. *I.C. Baricellus.*

Castrantur galli absque vulnere atq; periculo, tum cæteræ aues (vt referunt) atq; id rationi consentaneum, si deplumatæ inter caudam & anum candenti igne exurantur. Caudam enim dimittunt, nec canunt, nec ineunt fœminas. Gallinæ verò fœcundæ fiunt, tota hyeme oua parientes præcisis vrticis, cùm iam semen effundere cœperint, siccatisque, & per hyemem cum furfuribus permixtis: excalefaciunt enim viscera & sanguinem excrementitium, ex quo oua fiunt, rogignunt. *Cardanus.*

Lunæ proprium est, in hæc inferiora humiditatem immittere: quare exitiosum est, sub eius radijs diu dormire, quippe dormientes obseruatum est ægrè excitari, atque

proxi-

proximos insanis fieri. Lunæ vires in lignis, quæ ad ædificia colliguntur, potissimùm experimur: concisa enim luna crescente, sunt ferè emollita per humoris conceptionem, idcircò tanquam inepta reijciuntur. Agricolæ experimento cognouerunt, frumenta de agris in lunæ diminutione collecta, diutius sicca permanere. *I C. Baricellus.*

Dormire in locis humidis, aut intra nouos parietes, pręsertim testudinatos, graues morbos gignit: veluti dolores, febres, cæcitates, resolutiones neruorum, memorię amissionem, insaniam, pituitę abundantiam destillationes. *Cardanus.*

Illud planè non absurdum; ęgros qui imaginē è pupilla reddūt, posse sanari: qui non, nō. Eorum tamen qui sanari possunt, multi moriuntur, quòd nondum vis lethalis eò obreperit: periturorum a m vix vnus aut alter seruatur. Cum etenim vitalis calor manet, pupilla reddit nitore imaginem: *Idem.*

Lenit & humectat, soluit sine febre butyrum. Schol. Salernit.

Cicuta hac pollet efficacia, vt contusa cum vmbella, atque virginum mamillis imposita, tumorem & excrescentiam valeat prohibere, fortasse nutrimentum impedit, quò minus augeantur, vt in puerorum testiculis succedit, si hæc adhibetur; ij enim

meati-

meatibus alimenti obtusis facilè exiccantur. *I.C.Baricellus.*

Rapa maxima euadunt, si profunditate digiti germen eruatur, inde sulcis rariores obruantur, atque terra iniecta calcabis. Hoc quidem simplex & vile? imo non, nam causam audis, nobile fit quodcunque præreptum ad alia transferri potest. Igitur eruto germine funditus, cum radix nihilominus trahat, necesse est amplius tanto augeri, quantum est, quòd in folia & truncum absumeretur: calcatur terra, nam aliter sauciata radix facilè ex humido & aëre corrumperetur. *Cardanus.*

Non solum Galenus sed Auicenna & medicorum plurimi ad calculos comminuendos vitri puluerem extollunt, quomodo autem hic fieret plurimum insudaui, tandem quæ ab Abenzoare componitur, mihi ex voto successit, & vitrum adurere didici. capitur vitri albi, & perspicui frustulum, quod terebintina collinire oportet totum, mox tamdiu in prunis detinere, vt excandescat, hoc demum in aqua extinguitur, septiesque iteratur, primò tamen linitur, secundò excoquitur, vltimò extinguitur, quo pacto vitrum conteritur, & in puluerē subtilissimum mutatur. Propinamus languentibus aurei pondus vel drac.j.cum vino albo, & efficaciter calculos cōminui experimur. *I.C.Baricellus.*

Semen

Semen fœniculi pellit ſpiracula culi. Schol. Salernit.

Ex eſu præterea ſeminis fœniculi manant & alia quædam commoda. In febribus enim nauſeam, & ſtomachi feruorem ex aqua frigida potum ſedat, ſtomachum purgat, oculorum aciem reficit, & cum vino decoctum virulentorum vermiũ ictus ſanat. *Ex annot. Arnold. Nouicom.* in Schol. Salerni.

Infinitis experimentis Ceraſorum aquam in ſuccurrendis epilepticis comprobari reperio: propterea à Ioanne Agricola in lib. Herbar. maximè etiam extollitur. *I.C. Baricellus.*

Æris qualitatem, & naturam cum explorare libuerit, ſpongia benè ſicca, atque munda ſereno cœlo per noctem ſubdio exponenda eſt: illa enim ſi ſicca manè fuerit, ſiccus & aër erit, ſi humecta, nimboſus, ſi molliter vda, humidus ac roridus. Inſuper ſi recentem panem eadem induſtrla expoſueris, & corrupto, ſitum contrahere videbitur; â ſicco fiet ſiccus; ab humido autem à ſtatu proprio non mutabitur. Si aër fuerit peſtilens, carnes expoſitæ corrumpuntur, atque colorẽ mutant, ſic etiam adipes, *Cardanus.*

Inciditq́; lauat, penetrat, mundat quoque ſerum. Schol. Salernit.

Serum attenuat, abluit, abſtergit, & nitroſa, qua refertum eſt facultate, aluũ abſq;

aliqua

aliqua mordacitate leuiter ſubducit. *Ex an-notat. Arnold. Nouicom. in Scholam Salernit.*

Papiliones ſi apes infeſtent, nocte ac-cenſis candelis (ad lumen enim properant) ſemetipſos perdunt. Cimices referunt pelli, ſi ebulus viridis in ſpondarum capitibus po-natur, forſan ob odorem tetrum: hoc certè eſt malum malo pellere. Occidit eos fumus calcanthi & æruginis, ſed non ita quin de-nuò redeant: itaque nihil melius calce cum lixiuio feruente mixta, & vt ſic diu torrean-tur tabulæ & vndique inde miſceantur ſta-phuſagria, & hydrargyrium & ſulphur & o-leum laurinum, calcantho & ærugini illi-nantur. Allium odore ſuo arcet ſcorpiones: exiſtimauerim fermè omnia animalia arce-re, præſertim exanguia, atque ſerpẽtes. Præ-ſentaneum aduerſus omnem peſtem horum animalium, maximè cimicum iniuriam, cu-cumis anguini decocto, aut felle bubulo cũ aceto limites illine, non accedent: quod ſi loca etiam ipſa, morientur. *Cardanus.*

Qui calido ſunt, ſiccoque corporis habitu, celerius incandeſcunt, præſertim qui improcero puſilloque corpore exiſtunt, quibus oblata etiam futili quauis, nulliuſ-que momenti occaſione, citiſſimè bilis ac-cenditur, quæ propter loci anguſtiam, mi-nimumque organorum interuallum, men-tem confeſtim corripit, atque vt humiles

caſus,

casas, ac tuguriola inflammat accenditque. Eadem ratione huiusmodi constitutionis homines præ cæteris ingenio, mentisque iudicio pollent quod spiritus coacti, minusque diffusi aut dissipati, acrius vires suas exerant. *Ex Lemnio.*

Vt splendida arma maneant, aceto alumini mixto illinantur, aut cerusa, aut cerui medulla: hæc enim etiam oleo præstantiora videntur, oleum similiter oleo, quod pinguius sit. *Cardanus.*

Apud plerosque scriptores inueni, ignem sine læsione posse tractari, si trito maluauisco cum ouorum albumine, manus liniuntur, ac desuper alumen obducitur. Hoc autem experimētum à Magno Alberto captum est, apud quem aliud legitur huius negotij artificium: si enim Ichthyocolle, & aluminis æquales partes capiuntur, & ad inuicem commiscentur, si acetum his superfunditur; quicquid tali miscellana illitum in ignem proijcitur, vtique non comburitur. *I. C. Baricellus.*

Liquet robustiores apes, quandoque ad 12. annum posse peruenire, sed examine in decimo absumpto etiam validiores, quæ tum etiam ob senium sunt imbecilles, inopia pereunt. Iure meritò autem, tot viuunt annis. cum ex melle progignantur alanturque tenuissima, pura atque concocta sub-

 stantia:

ſtantia: quod argumẽtum eſſe poteſt, quantum etiam humanæ vitæ proferendæ commodi & auxilij afferat. *Cardanus.*

Caſeus eſt gelidus, ſtipans, craſſus quoque durus,
Caſeus & panis ſunt optima fercula ſanis.
Si non ſunt ſani, tunc hunc ne iungito pani. Ex Schol. Salernit.

Nota

Magni refert, qua quis ſit ætate, qua educatione, quo ſidere cœloq; natus, quali temperamento ac corporis conſtitutione exiſtat, quorum denique conuictu & conſuetudine vtatur, quæ humorum tum copia, tum qualitas. Hæc enim magna ex parte animi mores conſtituunt. Sic quibus ſanguis craſſus eſt, feroces plerunque ſunt, improbis moribus, inhoſpitales, inhumani, & qui nullos ſentiunt vel admittunt conſcientiæ ſtimulos, nullo tanguntur metu, nulla ducuntur religionis reuerentia, nullo pietatis, nulloque mouentur humanitatis affectu. Cuius generis ſunt nautæ, aulædi, aurigæ, baiuli, vectores, & quotquot militiæ ſunt aſſueti, qui ob ſanguinis craſſitiem, denſoſque ac turbulentos ſpiritus, conſcientiam incraſſatam habent, mentemque denſiſſimis tenebris obſcuratam. *Lemnins.*

aulædi. châteur joueur de fluste
baiulus crocheteur
gaigne denier
vector qui meine a bateau ou a cheual

Mures ruſticos, ſi querno cinere aditus eorum ſatures, ſcabies eos inuadet ac per-

perimet. Dico, nihil est quod celerius omnia animalia conficiat, napello maximè succo. *Cardanus.*

Multa sunt quæ lumbricos, ventrisque interanea exigunt, perimuntque: sed nihil efficacius exiccatis in tegula ignita vermibus exhibitoque illo puluisculo verminantibus, confestim reliquos inhærentes corpori deijci continget, eadem ratione, qua Plinius, compluresq; alij rerum abditarum indagatores asserunt, homini à scorpionibus icto, remedio esse ipsorum cinerem potum, in oleo vinoue demersum. Sic rabidi canis morsum curari testantur nostrates pilis eiusdem animantis exustis, illisque ex vino propinatis. *Lemnius.*

Animalia omnia, non solum quadrupeda, maximè & celeriter impinguantur post tridui inediam, cibo qui maximè illis conueniat: existimant equis hyoscyamum & testudinum carnem conuenire, tum hordeum ac talia. Ouibus cum cibo salem, quia potu præcipuè impinguantur. Causa huius est, quod fames in his animalibus superfluum humidum absumit, caloremque auget & appetentiam cibi per plures dies excitat. *Cardanus.*

Lumbrici præsertim longi ac teretes sursum enituntur, ac per os naresque

crepunt, idque fit quando homo diutius ieiunus perſtat. Tunc enim ſtomacho morſus inferunt, ciboque expleri cupiunt: quibus cum nihil obijciatur, quo ali vitamque tueri poſſint, in ſublime feruntur, cibumque ad gulæ vſque meatum venantur. Sentiunt enim ſagacitate quadam naturę per illas partes in ventriculum delabi alimenta: & quum nares peruiæ ſint atque ad gulæ tramitem ſpectent, eo quoque ſe conferunt, factaque titillatione atque ſternutamento eijciuntur, vel primoribus digitis præhenſi eximuntur. Hæc in ſanis multoties à me ſunt obſeruata. *Lemnius.*

Amurcæ tanta vis eſt, tanta vtilitas vt etiam boues præſeruet à morbis, & cibi auidiores faciat, immixta ſenſim cibis atque potui quarto quintoque die. Ita etiam exterius cum fece vini ac lupinorum cremore mixta illitaque, iumentis, tum ouibus ſeruat pilum ac lanam, & cutim à ſcabie ac rimis, imò lanam auget etiam: præſtat autem inunctas oues lauare ſalſa aqua. *Cardanus.*

Scylla facultate & viribus peonia ſuperior, mirificam vim habet non ſolum in epilepſia, ſed omnibus morbis qui ex lenta pituita, viſcoſiſque humoribus contrahuntur, in quacunque corporis parte con-

ſiſtant

istant. Est enim vi absterſoria, qua tenacia quæque diſſoluit. In quem vſum ex ea confecta oximelitis à me exhiberi ſolet cochleari menſura, quæ quoniam inſigni eſt amarore, cum ſerapio de ſtechade illam diluo, nuciſque myriſticæ ſeu muſcatæ pauxillum admiſceo; aceto quoque Scyllitico ſubinde os collui præcipio, ſic vt pauxillum deglutiant. *Lemnius.*

Inuenio inter odorata, ſtyracem ſuffitu omnia ferè inſecta animalia pellere. *Cardanus.*

Dentium ſtupores qui ab acidis eduliis connaſci conſueuere, ex aqua aut ſucco, vel frondibus portulacæ commanſis, quàm citiſſimè diſſoluuntur. Ipſe cum quadam æſtate tum ſiti maxima, tum dentium ſtupore affligerer, commanſis ipſius frondibus, & ſiti & à ſtupore ſubito liberatus ſum. Ab amico quodam audiui portulacæ ſuccum collinitum, abſq; dubio verrucas exterminare, mihi autem experiundi locus haud adhuc datus eſt. *Ex Aphrodiſeo.*

Boues ne pedes ſubterant priuſquam in viam quoquam emittas, pice liquida cornua infima vngito. Bos ſi ægrotare cæperit, dato continuò ei ouum vnum gallinaceum crudum, integrum deuoret: poſtridie caput alpici conterito, & in vaſe ligneo terito, & cum hemina vini facito bibat ſublimiter,

bosque ipsus & qui dabit sublimiter stet: ieiuno boui dato. Ad mictum sanguinis qui eis pro peste est, certum remedium: phaselorum rubeorum vncias tres, piperis, seminis geuistæ, singulorum drachmas sex, dentur contrita ex vino fuluo. Equis ac bobus roboreæ plantæ cum stamine supponantur: sic enim iacentibus molle, stantibus durum fiet. Pinguescunt boues dulcibus frondibus vlmi, Sole, & lotione aquæ. *Cardanus.*

Panis triticeus fermento accuratè subactus, beneque elaboratus ac coctus, sanis ac robustis corporibus laudatissimus est cibus, ac maximè salubris. Quapropter cuique persuasum esse cupio, edulia ac pulpamenta quæque non mediocriter panis admixtu condienda. Qui enim parcius pane vtuntur, copiosè autem carnibus aut piscibus, corpore efficiuntur laxo, carneq; fluida, denique halitu graueolenti ac vitioso. Quocirca esus piscium, quòd ij citissimè putrescant, plus panis exigit. *Ex Lemnio.*

Inter selectissima præsidia quæ ad capillorum copiam generandam inesse creduntur, Maluæ radix connumerari potest: si enim caput mulierum lixiuio lauatur, in quo elixa sit maluæ radix, & deinde succo maluæ crines inungantur, profectò vbertim prouenient & citissimè. *I. C. Baricellus.*

Talpas

Talpas Græci hoc modo persequun-tur: nucem perforari iubent, vel aliquod pomi genus soliditatis eiusdem, ibi paleas & ceram cum sulphure includi, tum omnes paruulos aditus, & reliqua spiramenta talparum diligenter obstrui: vnum foramen, quod amplum sit, reseruari: in cuius aditu nucem intus incensam sic poni, vt ab vna parte flatus possit accipere, quos ab alia parte diffundat: sic impletis fumo cuniculis, talpas vel fugere protinus, vel necari. *Cardanus.*

Apud rerum naturalium scrutatores acerrimos inueni, idque in arcanis conseruari Hellebori nigri folia, succharo commista deglutita ad iuglandis magnitudinem inoffensam valetudinem ad senectutem vsque conseruari. Insuper silicem ignitum in teisque parum madidis inuolutum, & pedibus applicitum, perniciosos valetudinis vapores extrahere. *I. C. Baricellus.*

Si aues pediculis detinentur, seu gallinæ seu anseres, aut minores oleo lini illinito curantur. *Cardanus.*

Alcis vngula præsentanea vi pollet aduersus morbum Comitialem, quod multis experimentis comprobatum habeo, licet ratio mihi visa sit obscurior. Sunt apud Belgas, quod regio satis humida frigi-

daque ſit, atque Auſter continenter ſpiret ventorum inſaluberrimus, complures huic morbo obnoxij, adeò, vt in compitis ac triuijs miſeranda ſpectacula hominum oculis exhibeantur, ſic vt paſſim ad hoc remediū, tanquam ἀλεξίκακον, hoc eſt, quod malum depellat, confugiant. Mihi autem ſemel atque iterum contigit, vt muliercula quędam in ædium noſtrarum veſtibulo, tanquam fulmine icta, concideret: quod vbi eſſém conſpicatus, accedo propius, atque annuli geſtamen, cui Alcis particula inſerta erat, digito qui infimo proximus eſt, infero: illa è veſtigio erexit ſe in pedes, potuque refocillata iter incœptum alacriter peragit. Altera quædam, cum domo abeſſem, pro foribus edito alamore inſolito, de repentè in terram concidit, ſoloque caput illiſit: vbi vnus ex familiaribus Alcis partem palmæ impoſuit, manuque in pugnum complicata, quòd annulo incluſa non eſſet, morbum confeſtim depulit. *Ex Lemnio.*

Piſces ſic optimè ſeruabis: friges cum oleo mediocriter, non perfectè: inde ſale aſperges tenui: ſic vt ſaliti non ſint, nec inſipidi, folijſque lauri & myrthi interpoſitis, poſtquam paululum ſiccati fuerint, in ciſta collocabis. *Cardanus.*

Eruitur ineunte Autumno creſcenteque luna ex hirundinis ventre lapillus, ab ea

ea auicula chelidonius dictus, qui præsentanea vi pollet aduersus morbum Comitialem. Valde enim exsiccat, absumitque humorem tenacem ac glutinosum, qui huic morbo præbet seminarium, est siquidem hirundo calidæ siccæque naturæ, quò fit vt in fornicibus ac cōcamerata testudine ex vdo mollique limo tam artificiosè nidos suspendant & affigant. Contactu enim suo humorem absumunt, coguntque lutum indurescere. Hinc medici cataplasmata ex ijs conficiunt, atque hirundinum combustarum puluerem in discutiendis gutturis anginæque tumoribus efficacissimum experiuntur. Limaces quoque ac grandiores cochleæ lapillos nobis exhibent candidos, sublongos, scabros, ima sui parte concauos, quos è capite expressos in multos vsus reseruare soleo. Vrinam siquidem stranguriosis moliuntur, meatusque vrinarios lubricos efficiunt, ac leniunt comminuti, atque ex vino ebibiti. Concrescit id genus lapidis ex liquore muccoso, atque humore lubrico, qui humoribus facilem transitum præbent. Qua ratione & partui ancillantur hi lapilli: dilatant enim laxantque locos, atque vterum cogunt dehiscere. Linguæ autem subditus vnus aut alter, mirá vim obtinet in cienda saliua. Quapropter aridis ac siticulosis in ore volutan-

dum præcipio. Vdam enim efficit linguam, atque humore fluitantem, ſitumque ac calorem comprimit. Qua vi & Chriſtallus pollet; ſubinde aqua gelida maceratus ori immitatur. Multa ſunt prætereà piſcium genera, quorum capiti lapides duriſſimi inhærent, vt lupo marino, Coracino, vmbræ, lucio fluuiatili, mugili, & quorum magna hibernis menſibus copia Callarijs, quos Belgæ Scheluis nomine indigitant. Omnium genera contrita, vinoque exhibita, dolorum colicum compeſcunt, ac calculum, qui renibus infixus eſt, terunt ac comminuunt, non ſolum grauitate & pondere, vt quidā exiſtimant, ſed inſita quadam vi, qua humorum collectionē diſſipant, ac diſcutiūt. Carpionis triangularis lapis tritus, ſanguinis è naribus profluuium ſiſtit ac cohibet, aſtringendi ratione, quod etiam guſtu percipis. *Lemnius.*

Vt Gallinæ atque eiuſmodi aues ab vuis abſtineant, labruſcæ acinos edendos dato: idem enim fermè eis contingit, quod hominibus qui acerbos fructus deuorauerint: obſtupeſcunt enim dentes. Si autem paleis tritis, ſpartoque tum argilla & amurca ſubactis, pauimentum areæ aut granarij ſtraueris, nec curculio nocebit, nec formicæ furta facient, granaque ipſa firmiora & ſolidiora diutius

ſeruabis. In vniuerſum, olei amurca ad omnia ſeruanda, antiqui Romani, quorum ruſticæ rei maxima cura erat, nihil melius inuenêre. *Cardanus.*

Qui incubo opprimuntur, nocturniſque ſuppreſſionibus fatigantur, quod fit vbi cordi ac cerebro fuliginoſi denſique ſpiritus incumbunt, vellicari debent, proprioque nomine excitari: confeſtim enim, etſi non magnopere vocem intendas, ſibi reſtituuntur, atque ad ſe redeunt, diſcuſſis ſcilicet fumis, ac ſubſidente ſanguine, qui per riuos ductuſque venarum diffunditur. Magna autem ex parte hic affectus ineunte vere illos corripit, qui aſſiduè ventriculi cruditate laborant, quique frequentius in dorſum ac reſupini decumbunt. Quo fit vt patulis oculis atque inconniuentibus, apertoque ore atque hiante, magno valetudinis incommodo ſomnum capiant. *Lemnius.*

incub9 est morbus noctu quiescentes infestãs

Poſt piſces nux ſit, poſt carnes caſeus adſit.
Vnica nux prodeſt, nocet altera: tertia mors eſt.
Schola Salernit.

Ex ventis Auſter omnibus grauis eſſe videtur, hominibus morbos parit: autumno primũ ea parte folia arboribus decidunt: ædificia collabuntur, atque ruunt: ſemina gurgulione ac verme exeduntur, fructus putreſcunt. *Cardanus*

Nihil ad perimendos Curculiones efficacius, quam ſalſugo in qua allium decoctum ſit, ſi ea irrigentur pauimenta ac parietes. Confeſtim enim alio repunt, ac granaria deſerunt, odoriſque tetri halitu exanimantur. Id ipſum etiam præſtant Sagapenum, amurca, caſtoreum, ſauina, ſulphur, cornu ceruinum, hedera, galbanum, ac graueolentia quæque, quorum ſuffitum nec ſerpentes, nec colubri, nec veſpertiliones ferunt. *Quod indicat Virgilius 3. Georg.*

Diſce & odoratam ſtabulis incendere cedrum,
Galbaneoſque agitare graui nidore Chelydros.

Eadem ratione lupi ſalictarij nidoroſos floſculos refugiunt, qui etiam hominum cerebro infeſti ſunt, capitique grauedinem ac temulentiam inducunt. Similiter & ſambuci flores, quorum odor etiam erucas arcet, blattaſque ac tineas perimit: quemadmodum abſynthium, ruta, mentaſthrum, abrotamum, ſatureia, iuglandis folia, filix, pſeudonardus, quæ nobis lauendula dicitur, nigella, coriandrum viride, pſyllium anagyris pulices cimiceſque interimunt, vel culcitris ſuppoſita, aut toris, in aceti Scyllitici decoctione conſperſa. Obſeruatum eſt autem noſtra & auorum memoria, naporum ſemen (Naeel) quod negotiatoribus Belgicis quæ-

ſtum

ſtum præbet vberrimum miram obtinere vim in proſternendis conficiendiſque Curculionibus, non ratione deleteria, ſed ſuauitatis illecebra. Cum enim id dulce ſit, atque oleoſum, illud deſerto tritico auidiſſimè appetunt, eoque diſtenti pereunt. Quod ipſum ijs etiam vſu venire ſolet, vbi ficellis vuarum paſſarum inſederint. Sic experimento comprobatum habeo, puerorum lumbricos vuarum paſſarum eſu expugnari, ſi ieiunis, nullo admixto alio edulio, illas exhibeas. Vt enim amarulenta quæque, ita dulcia affluenter hauſta vermibus inimica. Diſtendi enim illos contingit ac diſrumpi ſuauioris edulij copia. *Ex Lemnio.*

Quatuor ſunt quæ hominum naturam eneruant, vitæque breuioris ac morboſæ efficiunt: crapula, curæ, calor externus, aeriſque ſiccitas. *Ex Cardano.*

Si experiri velis, ſyncerane ſit an adulterina aqua vitæ (vel vinum ardens & cauſticum, vulgò Brandewyn) mantile aut linteum liquore illo madefacito, ac flammæ admoueto: ſi confeſtim inardeſcat illæſo intactoque linteo, efficaciſſima eſt. Inflammeſcunt ſiquidem ſudatoria aqua hac macerata, at non conſumuntur: flamma enim leniter modo peplo incumbit, nec penetrat, ſed lambendo abſor-

ber cognatum ſibi, ac familiarem, igneæque naturæ liquorem. Quod ſi volæ manus nonnihil imponas, admota ex ardenti papyro flamma, ardeſcit quidem palma, at manus non vritur. Si vero ſucco maluæ aut mercurialis manus oblinas in offenſe citraque læſionem plumbum liquefactum tractare poteris; modo celeri motu id perficias. *Ex Lemnio.*

Vngues lucidi ingenium declarant. Manus benè compoſita aptum ad artificia: robuſtum autem magna atque iuncturis firmis, vt laxis imbecillem. *Cardanus.*

Minus periculi imminet ijs, qui viuis peſte correptis adſtant, infeſtiſque obſequium præſtant, quam vbi morientibus aſſiſtunt: tunc enim ſe diffundit contagio atque ad obuia quæque dimanat. *Lemnius.*

Buxus aerem corrumpit, malè enim olet. Et ſi apes ex eius flore deguſtarint vt fieri ſolet, cum tempeſtiue &, ante alias arbores floreat, ſtatim moriuntur: ob id procul aluéariis ſeratur. Multa alia incommoda affert hæc planta, quæ ſolo ligno vtilis eſt, & gratioſa: lignum certè ſolidum, & nobilitate nulli cedit. *Ex Cardano.*

Gallinæ citra galli operam oua pariunt, at illa ſi foueri contingat gallinæ ſubdita,

dita, putrescere citius, quàm animari: quam oua à gallina edita quam gallus subegit, post vndevigesimum ab incubitu diem alites proferant, adeo vt pipiant etiam antequam testam aut putamen rumpi contingat. *Ex Lemnio.*

Multiplicant mictum, ventrem dant mespila strictum,
Mespila dura placent, sed mollia sunt meliora.
Ex Schol. Salernit.

Ad maculas, pannos, lentigines, vitiligines & incipientes impetigines: calchanti vncias quatuor, halinitri tres, scobis chalybis vnam, destilla addens caphuræ dimidiũ. Aliud ad maculas; radicum ari, liliorum, & maluę, quam vocant maluauiscum, singulorum libram mediam: coquantur in aqua pluuiali, inde terantur in marmoreo mortario, cui addanrur quarta olei tartari, & ceruinæ medullæ, & pars vigesima quarta caphuræ, & seruetur in vsus. Maculas peculiari medicamento faciei sic delebis: oua recentia quindecim aceto acerrimo cum cortice integra infunde, inde fracta excipe eodem aceto, & sinapis vncia addita, vitreo vase distilla: aquam superpone cotto dum dormitum vadis. Tolluntur maculæ quas lentigines vocant. *Cardanus.*

Hoc omnium scire interest ac memi-

nisse expedit vt valetudini consulant, alimenta fulmine vitiata, noxia esse ac perniciosa. Inest enim illi vis pestifera, ex qua spiritus venenatus in contacta diffunditur: eoque fit vt à fulmine adustis teterrimus odor emanet. *Ex Lemnio.*

Rubeta discissa & renibus superposita, vrinam cit vehementer, atque adeò vt nonnunquam ascitici, hoc medicamento liberentur. Refert Aristoteles, quo anno rubetæ abundauerint, pestem significari: nam ab humido & corrupto vapore progignuntur. Siccatæ in vmbra iecur, ad albugines oculorum elegantissimum auxilium est. Ipsa verò tota tuberibus carneis superligata (vocant autem natas Mediolanenses) ea abolet & liquefacit. Scinanticis cocta & pro emplastro imposita, adeò prodest, vt quendam hoc auxilio, cui tanquam morienti, de more candelæ accensæ fuerant, liberauerim. Crediderim & filum quo suspensa interierit, posse conferre. Pedes omnes magnæ rubetæ ab ea viuente abscissi, dum luna vacua ad coniunctionem properat, colloque strumas patientis suspensi adeò conferunt, vt persæpè etiam à morbo patientem liberent, *Ex Cardano.*

Prouocat vrinam mustum, citò soluit & inflat. Schol. Salernit.

Oxalis,

Oxalis, vulgò acedula vel acetosa dicta, est olus culmosum, folijs amplis ac praelongis, caule vbi maturuit rubicundo, radice flauescenti. Eius esse facultatis hanc herbam experior, vt carnes atque edulia quæq; quamlibet annosa ac peruetusta hac elixata tenerescant, atque esui reddantur apta. Quum enim lubricæ sit humentisque naturæ, durissimam etiam vel bubulam, vel gallinaceam mollit ac macerat. *Ex Lemnio.*

Natura iuuatur à similibus, lac equæ bibitum à mensibus, vterus leporinus, hirci testiculi adiuuant ad conceptum. *Cardanus.*
Ius caulis soluit, cuius substantia stringit,
Vtraq; quando datur, venter laxare paratur.
Schol. Salernit.

Id natura inditum est omnibus generaliter, vt sibi inuicem accedant, seu ob communem generationem, seu vt vnum alteri famuletur. Hæc omnia si quis optimè perceperit, etiam ipsius antipathiæ rationem tenebit: siquidem omnis antipathia, in sympathia quadam constituta est: ob id sapientes è corporibus mortuorum multa desumpserunt, quæ viuis aduersarentur. Nam nihil est tam contrarium cuiq;, quam ipsum est, vel mortuum, vel corruptum, vel excrementum. *Cardanus.*

Vinum corruptum ac glutinosum la-

ćte bubulo modice ſalito reſtauratur. Sunt qui calce, ſulphure & alumine id moliuntur, quæ ne homini infeſta ſint, ac noxam inferant, Iridis radicem & grana iuniperi commiſcenda ſuadeo. Quo vinum palato arrideat, acceptumque ſit, atque odore, coloreque gratum: malum medicum, ſeu pomum citrium gariophyllis vndique ſtipatum cado inſeras, ita, ne vinum attingat: nam ex madore computreſceret, nullum nec vapidum nec mucidum ſaporem contrahet. *Lemnius.*

Piſum laudandum nunc ſumpſimus ac reprobandum,
Eſt inflatiuum cum pellibus atque nociuum,
Pellibus ablatis ſunt bona piſa ſatis. Scholat. Salernit.

Homo ab equi anhelitu præſeruatur à peſte, & à catulo ſuper ventriculum contento concoćtione iuuatur. *Cardanus.*

Orminum, Centrum galli Officinis dicitur cuius ſemen feſtucas, atque puluiſculos aliaque oculis infeſta, quæ foris incidunt, eximit vi attraćtoria. Siquidem illud oculo admotum per ambitum illius quaqua verſum voluitur, abſumptoque humore, ac diſcuſſa caligine, turgidum egreditur, hac velut tenui membrana obdućtum. Ipſa verò herba contritu aculeoſque ſpinaſque extrahit, ac

motan-

morantes difficileſque partus accelerat: vino iniecta mentem exhilarat, animique nebulas diſcutit, ac venerem ſtimulat, liberalius tamen aſſumpta odoris grauitate caput tentat. *Lemnius.*

Saluia confortat neruos, manuumque tremorem
Tollit, & eius ope febris acuta fugit.
Saluia, caſtoriumque lauendula, primula veris.
Naſturt. Athanaſ. hæc ſanant paralytica membra.

Saluia ſaluatrix naturæ conciliatrix. Schola Salernit.

Qui frigore pereunt, mortis quidem initium à genitalibus ſuſcipiunt. Indicio eſt, quod mortuis quidem genitalia inuoluta inueniuntur, atque corrupta: quod etiam de equis diximus. Neque enim videntur interiora membra per ſe adeo à frigore affici vt corrumpantur, quoniam ſeptis fulcita ſunt: conſenſu autem exterioris & principalis ſic afficiuntur, vnde mulieres minus, genitale enim his intus eſt: vnde iuuat ea fouere. *Cardanus.*

Motus, longa fames, vomitus, percuſſio, caſus
Ebrietas frigus, timitum cauſat in aure. Schol. Salernit.

In omnibus affectibus, qui infernas partes occupant, auſpicatum eſt teſtes eſſe corrugatos, pudendũq; ſubrigidũ: reualeſcere enim hæc indicant illas partes, quæ

naturalibus facultatibus subseruiunt, atque ad obeundas functiones ac munia denuò accingi: nullæ siquidē corporis partes citius reuiuiscunt, discussoque morbo vegetas se prębent, quàm quas naturę parens in occulto constituit: ratio est, quia hæ partes subtili sensu præditæ sunt, ideò morbi abitum præsentiscunt. *Ex Lemnio & Anonymo.*

Siccata diutissimè seruantur: adeò vt panis biscoctus per annum quandoq, integrum seruetur, namque omne quod putrescit, propter humidum aqueum putrescit: subducto igitur humido aqueo, diu manet. Verum cum difficile sit humidum aqueum auferre, quin etiam pinguis humidi aliquid absumatur, eò fit, vt minus aliquando nutriat hic panis, quam communis: sed & in nauigijs, humido aquæ totus situm contrahit, magna verò ex parte etiam computrescit, quamobrem & bis & ter recoquere coguntur, aut corruptum edere. *Cardanus.*

Enula campana reddit præcordia sana.
Cum succo rutæ succus si sumitur eius.
Affirmant ruptis quod prosit potio talis. Schol. Salernit.

Pauonis caro assata (vt Augustinus refert se expertum) per mensem sic seruatur, vt neque sapor, neque odor deterior reddatur. Per integrum quoque annum experimen-

mentum produxit, nec corrupta est: contabuit tamen. Id partim cõtingit ob proprietatem, partim ob naturam. *Ex Cardano.*

Plerisq; vis inest augendi cumulandiq; seminis, nonnullis efficacia incitandæ mouendæque tentiginis, atque humoris propellendi. Edulia quæ materiam suppeditant, oua sunt gallinacea, phasiani, turdi, merulæ, ficedulæ, gallinagines, pipiones, passerculi, perdices, capi, pullastri, amygdala, nuclei pini, vuæ passæ, & corynthiacæ, vina omnia generosa, dulcia ac meraca, potissimum quę ex vua Apiana (quam muscatulam vocant) exprimuntur. Partes vero genitales erigunt, ac prurigine afficiunt, Satyrion, Eringion, Nasturtium, Erysimũ, Pastinaca, cinara, Cæpæ, Napi, Rapæ, Asparagi, zinziber conditũ, Galanga, Acorus,

Et quæ frugifero seritur vicina Priapo
Excitet vt Veneri tardos Eruca maritos.

Columel. lib. 10. Quæ lumbos incitant, atq; homines impendio salaces efficiunt. *Ex Lemnio.*

Cur homo cum totus sit glaber, barbam habeat & densam & oblongam? Quid aliud quam extremæ eius caliditatis indicium? Non quidem totius sed genitalium. Indicio, quod neq; pueris, nec mulieribus, nec eunuchis barba oritur: nec alibi quam in mento. Eunuchis orta seruatur, non tamen

men oritur. Quibus ergo decidit, corruptionis circa genitalia est argumentum: vt in Indico morbo. *Ex Cardano.*

Diligenter studendum, quo quis alimento vtatur. Qui ergo ferarum carnibus aluntur, & aromatibus, omnes feri & truculenti euadunt: qui oleribus cōtra. *Ex eodem.*

De pulegio.

Cum vino nigram choleram potata repellit.
Appositam veterem dicunt sedare podagram.
Schol. Salernit.

Corrumpuntur carnes in aqua celerius quam in aere: quia aer tenuior est, si cætera sint paria. Et rursus eadem ratione caro diutius seruatur, si æreus clauis infigatur: quoniam vis sulphuris siccat illam. *Ex Cardano.*

De chærefolio cersueil

Appositum cancris tritum cum melle medetur.
Cum vino potum lateris sedare colorem
Sæpè solet, tritum si nectis desuper herbam,
Sæpè solet vomitum, ventremq́ tenere solutum.
Ex Schola Salernit.

Cur est quod oua nata post nouiluniū mensis Augusti, nec corrumpuntur nec deficiunt, sed quasi integra manent: hoc ego sub fine mensis Nouembris, tribus iam exactis mensibus obseruaui, vt non pridem nata viderentur. Hoc alij dicunt eo mense contingere, sed solum deficiente luna. Causa est,

ſa eſt, quod celeriter humidũ aqueum euaneſcit, & quod adeſt pingue & paucum: contraria ratione Februario menſe, nam contraria ſigno ſol fertur: ſemeſa enim quaſi oriuntur, aut breui euadunt. Æſtate verò furfure ſeruantur frigidiore & ſicciore, hyeme palea, eſt enim ſicca & calida. Sale autẽ ob vim inaniuntur. Coquum agnoui, qui odore ſeligebat oua nuper nata, ab his quæ iam diu. Ratio diſcriminis clara eſt: olent enim quid grauius ob ſanguinem & vterum gallinæ. Sed oportet in rebus tenuiſſimis, longa & diligenti obſeruatione, velut & in gemmarum dignotione, vti. Oblonga oua & in cacumen faſtigiata, fœminas: rotunda & obtuſa, ex Ariſtotelis ſententia, ſuffragante experimento, mares edere ſolent. Coacta manent recentia, & in aqua cocta: quæ verò vetuſtiora, diſſipantur, maximè ſi igne cocta fuerint. Oua Chriſti natalitio die nata ſeruari exiſtimuntur, dieque aſcenſionis: ſummo enim frigore denſatus cortex, non permittit vim aeris craſſari: ſummo calore exhalat celeriter, quod cauſa corruptionis eſſe ſolet. Horum dierum alter poſt ſolſtitium æſtiuum, alter hyemale eſt. Indicio non eſſe miraculum, quod neq; hoc ſemper contingit, neque ex toto. Cur verò oua à capitibus compreſſa non franguntur, à lateribus autem ſtatim non alia

causa quam lignorum, quæ transuersim franguntur, non autem recta. Multa alia quoque de ouis referuntur, licet minus mira; vt quod vitella eorum, quæ plenilunij die nata sunt, maculas detergant. Immissa pannis amplis, & maximè si ignis subijciatur in vnum coiri, candido circumambiente Aristoteles refert. *Ex Cardano.*

Hyssopus purgans herba est è pectore phlegma,
Ad pulmonis opus cum melle coquenda iugata:
Vultibus eximiũ fertur præstare colorẽ. Schol. Salernit.

De puerilibus variolis quæ vulgò Maselen dicuntur. In morbis qui in sanguinis ebullitione atque inflammatione cõsistunt, diaphoretica seu discussoria exhibẽda, quæque humores attenuent, quò commodius per corporis meatus ac spiracula queant expugnari, non est quod quisquam ambigat. Itaque mirari subit, qua ratione matronæ nostræ, quum hæ pustulæ eruptionem moliuntur, vinum rubicundum exhĩbeant, quod plerunque astringentis est naturæ, atq; humorem cogit ac densat. Quocirca ego decoctum confici iubeo ex Calthæ floribus crocatis, quæ vulgò Calendula dicitur, melissophillo, anetho, hyssopo, satureia, ficibus, aniso, & feniculo, quod cutem relaxat, humorumq; collectionem dissipat. Iniri tamen rationem posse video, qua in-

inoffenſe citraque incommodum præſcribi poſſit, modò tempeſtiuè id fiat, quum ſcilicet omnis humorum impetus ad cutem delatus eſt: tunc enim eadem ratione propellit, qua illa quæ comprimendo aluum laxant, vt Myrabolani, & radix Pontica, vulgo Rhabarbarum dicta, quibus manifeſtè aſtringens vis aliqua ineſſe percipitur. Itaq; rubellum fuliginem propellit, atque humores fumidos qui medijs ſpatijs inhæreſcunt, ad extimam cutem deuehit. *Ex Lemnio.*

De vrtica.

Ægris dat ſomnum, vomitum quoq; tollit & vſum.
Illius ſemen colicis cum melle medetur,
Et tuſſim veterem curat ſi ſæpè bibatur:
Frigus pulmonis pellit, ventriſq; tumorem.
Omnibus & morbis ea ſubuenit articulorum.
Ex Schol. Salernit.

Tineas nemo non nouit, quarum decocto maculas omnes tolli exiſtimant, quoniam lentum ſit ac viſcidum, vnde materiam maculæ ad ſe trahat. *Cardanus.*

Cor Salmonis diu viuit, atque adeò diu, vt exertum improbi piſcatores inſerant cadaueribus ſalmonum iam putreſcentium, vt adhuc viuere videantur. Atque ita plures ſub vno venduntur. Veniunt autem piſces ad lac, capiunturq; aſſatorum odore, ſæpiarum præcipuè, & polyporum: intereunt o-

dore cupri atque ſulphuris, ſi haurire cogantur. *Idem.*

Lumen rationis offuſcat, mentemque obnubilat corporis intemperies, efficitque vt animæ actiones deterius perficiantur. Sic ebrij ac deliri gemina conſpectare ſe credunt, quum vnica res ſit obuia. Sic melancholici abſurda imaginantur, ſibique ſomnia fingunt. Cholerici irritantur ac temerè excandeſcunt, cerebro ſcilicet humoris noxij fuligine oppreſſo. Quæ autem incommoda menti inferant humores, corporis aliquot morbi formidandi declarant, lethargus, apoplexis, paralyſis, ſpaſmus, mania, phrenitis, &c. *Ex Lemnio.*

Contra ventorum iniuriam, maris halitum, imbriumque damna, pice parietes, Carthaginenſium more, illiniantur: non negligendum conſilium, neque dubium, quamuis Plinij ſit. Meliores tamen ſunt cruſtationes, quæ inter delicias cubiculorum etiam adnumerari poſſunt. Fiunt autem parua impenſa iucundiſſimæ, marmor ipſum æmulantes atque diuturnæ, hoc modo: calcem candidiſſimam aquaque maceratam ſubigito: eius verò ſpumam, quæ cruſtæ inducendæ aptiſſima eſt, mortario marmoreo diu tundito, diluito, compingito, vt ferrum non detineat: tunc enim aptiſſima eſt: cruſtam inducito dum vireſcit, plana-

planatorijs bacillisque tundito verberatoque, donec densetur: si rimas induxerit, sparti aut ibisci manipulis virgarum fissuras castigato: sic enim optimè constat experimento emendari posse: nam nec vestigium vllum manet: siccata igitur densataque crusta, ceram, mastichem, pari pondere, adiectoque olei modico, colliquefacito, ac illito, carboneque ignito ex pelui concalefacito, donec murus plenè vnguentum ipsum combibat, sic enim splendorem dabit speculi: marmora vincet candore. Quod si caniculæ ardoribus, crustam continget inducere, rudentes vetustos minutissimè concidito, calcique admisceto: sic enim immunis à fissuris euadit: quòd si sculpturas, aut signa, siue retrusa, siue prominentia, parieti adijcere libuerit, sigillis ex gypso celeriter perficies: materia quidem cerea, cerusa densata, aut calce, demum vnguento prædicta illita, decorem & integritatem seruabunt per secula. *Cardanus.*

De nasturtio.

Illius succus crines retinere fluentes
Illitus asseritur, dentisq; leuare dolorem:
Lichenas succus purgat, cum melle perunctus.
Ex Schol. Salernit.

Quod claudi impensè salaces sint, abditasque atque obscœnas partes inusitatę

magnitudinis habeant, prouerbium inde natum indicat, Claudus optimè virum agit. Omne ſiquidem alimentum, quod inualido pedi deſtinandum erat, circa partes genitales conſiſtit, atque in ſemen elaboratur. *Lemniut.*

Purgatio lachrymarum, vt galbani, ligentur in linteo raro, & ferueant in calida: effluet enim quod purum eſt. Mel vt expertus ſum, in vaſe lato contentum, tertiam ſui partem liquidiorem & perſpicuam ac ſuauem ſeparat: quam cochleari ſenſim excipere oportet. Terreum enim cum diu manſerit pendens, ad imum deſcendit. Vnde etiam idem contingit in vino, alijſque liquidis humoribus, qui non breui corrumpuntur, & ante ſeparationem, vt lac. *Cardanus.*

Hianti ore dormire valetudini incommodum. Pulmo ſiquidem cum fiſtuloſus ſit, per vocalem arteriam, aerem obuium, qui ſub noctem ferè impurus ac turbidus eſt, copiosè allicit, quo ſpirandi meatus imbuti vel raucam efficiunt vocem vel obtuſam. Occluſo autem ore, ſpiritus externusque aer non confertim, ſed ſenſim per nares confractuoſas, ſinuoſo volumine vltro citroque commeat, atque in pulmonem delabitur, cordisq; calorem temperat. Quo fit vt minus ſiticuloſi efficiantur,

tur, qui commissis labijs dormiunt. Qui enim faucibus dilatatis somnum capiunt, ijs ob aerem halitumq; hinc inde æstuantem, lingua ac palatum arescunt, potuque noctu irrigari cupiunt. Et longè melius concoctio in ventriculo perficitur, si quis occluso ore dormiat, fouetur siquidem calor naturalis, ac validius cibo incumbit. *Ex Lemnio.*

De croco.

Confortare crocum dixerunt exhilarando,
Artus defectos reficitq;, hepar reparatq;. Ex Schol. Salernit.

Ignis ratio, plurimum etiam facere videtur: è carbonibus enim odoratiorem aquam reddit, quam è lignis quoniam is fumus, qui à carbonibus procedit, vix sentitur: qui à lignis, magnus, odore suo odorem aquæ corrumpit. *Cardanus.*

Quibuscunque (Hippocrate teste lib. de Comiti. morb.) cerebrum incalescit, quod biliosis fit non pituitosis, hi noctu clamitant, ac tumultuantur, præsertim si tumultuosè ac feruidè sua negotia actionesque diurnas perficiunt, rerumque suarum satagunt: Vt sunt Ardeliones quidam, hoc est, homines inquieti ac iactabundi, qui omnibus se negotijs inferunt, atque vltro citroque discursant, mirisque vtun-

tur geſtibus, quos etiam ex oculis deprehendere licet, ex vultu, inceſſu, veſtitu, quorum ſingula varijs modis componunt, atque immutant. Hi in ſomno exiliunt, ac plauſum ſtrepitumque excitant, ob ſimulachra quæ ſenſui occurrunt, quæque voluntati atque actionibus diurnis correſpondent. *Ex Lemnio.*

Oues robuſtæ glaciem à cauda excutiunt, hocque ſigno generoſiores ab ignobilibus diſtinguuntur. Capris cornua ſunt & ſanguis, & vngues, & fel ad medicinam vtilia, ſed marium efficaciora. Vngues exuſti alopeciam curant: cornua verò exuſta dentibus & gingiuis ſunt vtiliſſima. Fel erodit ſupercilia: eſt enim acre valde, ſanguis lapides frangit in renibus genitos, maximè ſi diutius hircus iuuenis petroſilio, ſaxifragia, hœdera, vrticaque ac lapide Iudaico, tum radicula, quam vocant raphanum nutritus fuerit. Biberit autem vinaciolam & ſuccum fructus limunij cum ea mixtum. *Ex Cardano.*

Aſini oſſa canora ſunt: ſunt enim maximè ſicca. Eius hepar comitialibus prodeſſe multum creditur: tum etiam vngula exuſta in potu exhibita. Eadem ſtrumæ ſuperimpoſita, eas delere fertur. Eius vrina renibus eſt vtiliſſima.

Ideo

Ideo balneo destillata, commoda erit. Fœtorem enim & abominationem relinquit. Minguntasini mulique vbi alius prius minxerit, aut super fimum, quoniam acutus odor excrementorum eos alioqui natura segnes stimulare solet. *Ex eodem.*

De sinapi.

Est modicum granum, siccum, calidumque, Sinapi,
Dat lachrymas, purgatq; caput, tollitque venenum. Ex Schol. Salernit.

Sinapi linguas humiditate grauatas siccat. Si cum melle sumatur, tusses resoluit. Cum caricis verò illitum ischiadicis & lienosis vtile est: trahit enim quæ intus sunt ad corporis superficiem. *Ex annotat Arnold. Nouicom.* in Schol. Salernit.

Mutantur facilius fœtus & partus, si homines mutantur affectibus: tenera enim illorum substantia. Vnde quidam nascentes in terræmotus momento, semper pauent: alij in tonitru, pauidi & languidi: Hora verò qua cometæ lucent ardentiores, & quasi rapti velut amantes. Sed hæc non tã euidentiora, quòd cometæ tempus longius sit, & strepitus ac commotio corporis plus agat, quam sola vis astri. Nati quoque interlunij tem-

pore (vt Aristoteles censet) aut non viuunt, aut debiles sunt: obseruauimus nos omnes atra bile laborare. *Ex Cardano.*

De grauitate auditus.

Et mox post escam dormire, nimisque moueri,
Ista grauare solent auditus, ebrietasque. Ex Schol. Salernit.

Mirum quantum possit regionis diuersitas & victus: cum sub Amida ciuitate, quam Persarum Rex Sapor oppugnauerat, corpora Persarum ac Romanorum ad sepulturam requirerentur, animaduersum est Romanos cæterosque Europæos post quatriduum putrescere, taboque corrumpi, vt non facile qui sint, dignoscantur: cum contra Persæ, siccatis corporibus, sine tabe, vt ligna durescunt. Quod ego in cadauere parentis, cum lapis post viginti annos inscripto epitaphio reponeretur, animaduerti. Solum enim labiorum caro, & nasi summitas, & oculi absumpti erant. Indicio igitur, quantum ad corporis salubritatem, aër purior & exercitatio, cum victus moderatione conferat. Vt iam Xenophonti credere possimus, qui panem, nasturtium, & aquam cibum dicat Persarum, aut salem nasturtij vice. Nam si ab obitu nec humor sit qui computrescat, nec solida

ſolida membra, quanto minus viuentibus morbi aduenient: *Ex Cardano.*

Si quis veſperi parum ederit & præſertim biberit, manè miram alacritatem in corpore ſentiet. Experto crede. *Ex anonymo.*

Stannum vocant plumbum album quod ſtridet, incoquitur auri pigmentum leni igne cum triplo olei, donec conſumatur oleum: inde miſcetur ſtanno, atque ſic mollius redditur vt non ſtrideat. *Cardanus.*

Fiunt & doli cum argento ſuperinducitur aurum, vt in torquibus: lucroſa fraus, ſed pernicioſa niſi fiat volentibus dominis. *Idem.*

De pipere

Quod piper eſt nigrum, nō eſt diſſoluere pigrum,
Phlegmata purgabit, concoctricemque iuuabit.
Leucopiper ſtomacho prodeſt tuſſique dolorique.
Vtile, præueniet motum, febriſque rigorem. Ex Schol. Salern.

Heſiodus alio lætamine ſterilitatem expugnandam cenſuit, quam ſtercorandi vſu & conſuetudine. Satis enim ex lupinorum, cicerum, piſorum, fabarumque culmis, vomere tempeſtiue ſubuerſis, alioue pabulo proſtrato agrum vberem fæcundumq; effici exiſtimauit. Quæcunque enim ex ſtercoratis, fimoque cultis agris

proueniunt, vitiosos minusque salubres succos præbent. Sic triticum & cerealia quæque à curculionibus promptius infestantur, ac fruges omnisque generis legumina in eiusmodi agris enata nec perennare possunt, nec diutius asseruari, quin vel situm contrahant, vel à teredine & vermiculis infestentur. Zythus quoque eaque potio quæ Belgis cereuisia dicitur, ex huiusmodi frugibus decocta, citissimè vitiatur atque acorem contrahit. Quemadmodum rectè Hesiodus illos agros aptos accommodatosque semēti existimauit, quos venti temperati serenant, suaues solis radijs fouent, vbi nullæ aquæ stagnant, nec culta stercoratione pinguescunt, aut saltem mundo natiuoque humore ac calore maturitatem cōsequuntur. Sic enim illa quæ nascuntur, diu perseuerant incorrupta, atque alimentum præbent salubrius. Fieri autem nequit, vt in his regionibus viuaces existant homines, aut valetudine inculpata, vbi aër ipse, vel alimenta vitiosa sunt ac putredini obnoxia. Quorum alterum euenit, vbi stagna, paludesque graueolentiam exhalant: alterum vbi non genuino humore, sed ascititio pinguescit humus, ac stercorando excolitur.

Ex Lemnio.

De visus nocumentis

Balnea, vina, Venus, ventus, piper, allia, fumus,

Porrum cum cepis, faba, lens, fletusq́; sinapi,
Sol, coitusq́; ignis, labor, ictus, acumina, puluis
Ista nocent oculis, sed vigilare magis. Ex Schol. Salernitana.

Quædam à proprietate, & quædam à similitudine, miro modo liberant: à similitudine, veluti vesicæ bouis tres coctæ in aqua, ebibita aqua, siccatisq; vesicis, ac cum aqua ebibitis, dicunt omnes morbos vesicæ sanari, præcipuè verò vrinæ incontinentiam. Et similiter cum à simili transitur in simile, velut ad eosdem morbos ericij terrestres non solum, sed & marini prosunt: & marini quidem ardori plurimum prodesse creduntur. A proprietate etiam, velut tineæ & alopeciæ, loto capite cum decocto furfuris, abiectoque furfure inungitur oleo, sale succoque hypomaratri, seu fœniculi parui, seu tortuosi. *Ex Cardano.*

De Porro.

Reddit fœcundas mansum persæpè puellas,
Manantemq́; potes naris retinere cruorem,
Vngas si nares intus medicamine tali. Ex Schola Salernit.

His qui obesæ naris sunt, & quibus olfactus vel vitiatus, vel abolitus est, efficacissimè hunc restaurat Melanthij semen, abrotamum, ruta, & quotquot acris vibrantisq; sint odoris. Dilatant enim mentū, humoresque atq; alienos vapores resoluunt ac

discutiunt. Nihil autem etiam in senibus expertus sum magis præsentaneum, quam Mentham identidem naribus admouere, cuius fragantiam manifestè percipiunt, quibus etiam is sensus ad teterrima quæq; occalûit, omnisq; odorandi facultas adempta est. *Lemnius.*

Phocæ odorem castores horrent, quod quasi contrarium natura sit succino, ab eoque fugantur. *Ex Cardano.*

Cereuisia potest confici ex auena, hordeo & tritico: sed iuxta materiæ rationem diuersa ei inducitur temperatura siue qualitas. Quæ namque ex hordeo fiunt, frigidiores euadunt. Hordeum enim refrigerat, siccatq; in primo abscessu. Quæ ex hordeo simul atque auena, minus alunt nec inflant, neque obstruunt admodum. Quæ verò ex tritico calidiores existunt, magisque tum obstruunt, tum nutriunt. Crassiores cereuisiæ tenuioribus tardius cõcoquuntur, atque in corpus vniuersum distribuuntur, magis tamen nutriunt. Tenuiores verò contra cito alterantur, in partes corporis celeriter rapiuntur, mouent vrinam & parum alunt. Mediocres omnia faciunt mediocriter. Pessima habenda est cereuisia, quę conficitur ex rebus inebriantibus, nimirum ex lolio, vel chamæpeuce. Ea enim adeò efficitur valida & halituosa, vt parũ absit, quin

biben-

bibentes paulò immoderatius ad insaniam redigantur: maximum capitis dolorem generat, & neruos lædit. *Ex Annotat. Arnold. Nouic. in schol. Salernit.*

Laude Medica herba digna est: quæ semel sata, triginta annis durat: sexies siccatur in annos, cum minimum quater, & animalium vitijs plerisque medetur: adeò suauis ac nutriens, vt pecus arcere necesse sit, ne vel disrumpatur, aut sanguinem detrahere oporteat: trifolio similis est, sed geniculata, folium rugas cõtrahit, semen lentis magnitudine, in corniculis continetur, quod ob gratiam saporis seruari solet: olim in Italiam copiosum, nunc aufugit vltra montes. Opulenta merx, si non tam exacta cura indigeret. *Ex Cardano.*

De salice.

Auribus infusus vermes succus necat eius.
Cortex verrucas in aceto cocta resoluit.
Huius flos sumptus in aqua frigescere cogit
Instinctus Veneris cunctos acres stimulantes:
Et sic desiccat, vt nulla creatio fiat. Ex Schol. Salernit.

Aquæ deteriores videntur fieri Augusto mense, vel quoniam corpora hominum tunc sunt imbecilliora, vel quia terra calore priuata est. Indicio est, quod neque seritur tunc quicquam vtiliter, neque inseritur, & quod folia siccantur, tam herba-

rum quam arborum. Cadunt autem imbres iam exhauſtis fontibus : imbrifera autem aqua, ſemiputrida eſt : æſtiuus quoque calor cùm occidat piſces, cum aquas conſumat, corrumpit etiam. Vis quoque ſyderis Canis, aquas malè afficit. *Ex Cardano.*

Albumen oui conquaſſatum, calcique viuæ admixtum vitri fragmenta ferruminat, ac teſtacea quæque ita glutinat, vt diſſolui nequeant propter lentorem ac tenacitatem glutinoſam. Quum enim calx cuiuis liquori admixta in lapidem indureſcat, tum maximè albo oui confuſa, quod muccoſum eſt viſcoque aſſimile. *Lemnius.*

Scrofam tot parere filios, quot habet mammas commune eſt: nam ſi pauciores, infœcunda : ſi plures, prodigioſa : quoniam alere nequit. *Cardanus.*

Si taurus à coitu in dextram deſcendit, maſculum proferet vacca : ſi ad ſiniſtrũ, fœminam. *Idem.*

De corroborantibus viſum.

Fœniculus, verbena, roſa, & chelidonia, ruta,
Subueniunt oculis dira caligine preſſis.
Nam ex iſtis aqua fit, quæ lumina reddit acuta,
Ex Schol. Salernit.

Ranæ forma & vitæ genere monſtroſæ ſunt, humidiores quam vt in mari alantur:

tur: quæ in fluminibus ac riuis aluntur, edules ſunt, & incolumes, imò etiam venenis aduerſantur. *Ex Cardano.*

De dolore dentium ſedando.

Sic dentes ſerua, porrorum collige grana.
Vre cum hyoſcyamo ſimul, vtere iure decenti.
Per ſic chonion & fumum cape dente remotum.
Ex Schol. Salernit.

Hominum cadaueribus quædam dictu mira ineſſe videntur: ſuſpenſi ad ſolem conuerti dicuntur, aut forſan id contingit, quoniam propter obliquitatem quocunque facies reſpicere videtur, aut quoniam ſolis calor humidum ad ſe trahat. At pilos barbæ, tum capillos & vngues creſcere deprehenſum eſt etiam vltra annum. *Ex Cardano.*

Rheumatis remedia.

Ieiuna, vigila, caleas dape, tuque labora,
Inſpira calidum, modicum bibe, comprime flatũ.
Hæc benè tu ſerua, ſi vis depellere rheuma.
Si fluat ad pectus, dicatur rheuma catarrhus:
Si ad fauces, branchos, ſi ad nareis eſto coryza.
Ex Schol. Salernit.

Dentes hominibus perpetuò creſcunt, donec homo iuuenis extiterit, non tamen renaſcuntur. In ſenio enim neque creſcunt neque renaſcuntur, ſed à radicibus diuelluntur: in pueritia vtrumq; contingit: in iuuentute alterum. Cum enim auellitur

lato

lato ore, gingiua ſtatim ab aere læditur. Ergo ſi ſtatim butyro & propoli repleatur, in pluribus dens ranaſci poterit. Atque hoc ratione, non tamen experimento adeo compertum. Comperta tamen eſt differentia ortus atque incrementi. *Cardanus.*

Cutis oleo imbuta, venena reſpuit, adeo ſi quis cutem admotis cauterijs erodente medicamento exulcerare pergat, illamque oleo perungat, fruſtrabitur, operamque luſerit, non enim adhæreſcunt quæ applicantur, nec penetrant. Intus quoque aſſumptum virus retundit atque hebetat, venaſque ſubire prohibet, ac confeſtim vomitu id exturbat. Oleum vino vel alterius generis liquori ſuperfuſum præſeruat, ne vel vapeſcat, vel corrumpatur: ſiquidem aerem arcet, omneſque halitus excludit, quæ putredinem inferre poſſint. *Ex Lemnio.*

Cum membra compreſſa detinentur, ſpirituum tranſitus prohibetur, vnde torpent adeò vt nõ tuto homo illis ſe committat, ſentiturque ſtupor, velut & oculus dum inflammatione laborat, cæcitatem: at verò præter id vellicationem quandam velut formicarum: ea fit, quoniam partes inæqualiter afficiuntur, ſtupidæ enim ſanis cohærent: quamobrem hic affectus & ob impotentiam & ob doloris ſpeciem quandam, grauis perſæpe homini eſt. Nihil au-

tem

tem præſentius quam membrum totum vehementer extendere ac fricare, vel alterius lateris manu, pollice appreheñſo, pedem patientis cruris eleuare. *Cardanus.*

Cereuiſia cocta ex puteali, ſtagnanteque aqua, licet turbida ſit & inquinata, ſapidior eſt, minuſque aceſcit, quam ex cæleſti & clara confecta. Turbulenta ſiquidem ſi quid habet vitij, excoquitur ac melioreſcit. Memorabile eſt quod Hermol. Barb. ait: aquam ſepties putrefactam, purgatamque non putreſcere amplius: quoniam, vt opinor, exinanita eſt terreſtris omnis ſubſtantia, prorſuſque defecata eſt ab omnibus ſordibus, quæ illi putredinis cauſa extitit. Sic obſeruaui Zythi hoc genus quod plebes Iopenbier vocant, certo anni tempore aceſcere, ac poſt liminio priſtino vigori reſtitui, quod ipſum in vino exotico euenit Baſtardo & Nigro Hiſpanico, quod mantilia manuſque inficit, ac lintea quæque ſaturato rubore imbuit. *Ex Lemnio.*

Remedium pro morbis comitialibus. Cum luna ioui iuncta eſt, dato patienti tribus diebus maceris, pæoniæ ſeminum & radicis dimidium drachmæ, foliorum gariophylatæ, & primulæ veris (quæ eſt bellis) drachmam vnam, teratur.

ratur ac partiatur. *Cardanus ex Rinaldo.*

Motus, longa fames, vomitus, percussio, casus,
Ebrietas, frigus, tinnitum causat in aure. Ex Schol. Salernit.

Somno conciliando auxilia physica hyoschyamus sub ceruicali viridis. Fructus iunci caulis pinguioris epotus. Oleum in quo oculus sinister ericij incoctus sit, in aurem instillatum. Vel apposita hirundine in augulis oculorum, atque abducta meconium instilla, potens est. Validius adhuc, si ex eodem fiat suppositorium, sed auferatur somno iam inchoato. *Cardanus.*

De curatione fistulæ.

Auripigmentnm, sulphur miscere memento,
His decet apponi calcem, coniunge saponi,
Quatuor hæc misce, commixtis quattuor istis
Fistula curatus, quater ex his si repleatur. Ex Schol. Salernit.

Pestis quatuor de causis contingit: vitio aquæ, aëris, cibis, & contagio. Contingit eam, quæ contagio fit pestem sedari magnis caloribus, dum vapor ille prius dissoluitur, quam arteriæ illum hauriant: & à magnis frigoribus, quoniam arterijs occlusis non attrahitur, nisi postquam vires amisit. Manifestum est igitur pestem contagiosam fieri, ob attractionem vaporum

porum ab arterijs, vnde ſanguis inficitur: vt in corruptione aëris, ſpiritus: in aquæ corruptione, humores: in ciborum autem putredine, humores, ſpiritus, pariterque membra. Vnde ab hac vix homines effugiunt: cum reliqua afferant mortem quidem, non tam ſecuram, quam celerem. *Ex Cardano.*

Thitimalli cuius ſeptem numerantur differentiæ, ſuccus lacteus verrucas delet vi adurenti & cauſtica. Siquidem ob intenſam caliditatem ac vim penetrantem, radicem areſcere facit: quo facto mox vt ſcabra quædam cruſta decidunt. Pari ratione Hermodactylus ac Saturnina in puluerem redacta, atque oximeliti ſcylliticæ, vel ſucco calendulæ commiſta, clauos calloſque abolent etiam in partibus pudendis, quum à fœdo concubitu contracti ſunt. *Lemnius.*

Aqua lactis fontanæ perſimilis ſic habetur, feruefactæ veſperi acetum album aut arantij ſuccum, aut omphacium inſpergito, ſed caue ne bulliat: poſt linteo in ſacculi formam conſuto ac ſpiſſiore percolato: turbida primum exibit, id verò ſæpius cum repetieris, vt aqua fontis tandem exibit. Nam fex eius retenta in ſacculo clariorem reddit. *Ex Cardano.*

Tabacæ

Tabacæ arefactæ fumum per fistulam nautæ trahunt ore, naribus clausis, sicque necessitatis tempore dies plurimos absque cibo viuere posse dicunt. *Ex Philippo Sechleno.*

Cornua & maximè ceruina in tenuissimas bracteas diuisa excoctaque per diem integram, & etiam amplius, vnguentum efficiunt rubrum, nec viribus mediocribus.

Solani radicis infusione in vino facta & propinata, fieri scribit Matthiolus, vt etiam famelici omnem ciborum appetentiam amittant. *Philippus Sechlenus.*

Loti radicem mansam, siti resistere autor est Strabo. Idem. Vbi aluus non demittat, paratur saccharum roseum huiusmodi: libram vnam sacchari cum libra vna roris, dissolue, purga vt solet cum oui candido, inde vnciam vnam rosarum persicarum immitte, cum iam feruet saccharum, & vbi paululum coxeris, extrahe, aliamque vnciam simili modo indito, atque ita vsque ad duodecimam vnciam: præstat autem rosas cum rore esse collectas, demum coquito ad perfectam rationem, additoque vncias quatuor rosarum rubearum & in sole exponito: hoc non differt ab alio saccharo &

inno-

innoxiè purgat, & cum voluptate deuoratur, *Ex Cardano.*

Aliud longe melius, duodecim pruna ſicca quidem, ſed haud eroſa, incoque in libra vna aquæ donec ad vncias duas aqua decreſcat, adde roris coacti ſeu ſyriaci ſeu mannæ parthenopeæ binas vncias: parum coque cogitur hæc materia velut ſaccharum ſuper pruna: ſi libet acidum deguſtare, arantij ſuccum adde: hæc pruna deuorata purgant præclarè, & etiam bilem, & guſtu atq; odore ſunt ſuauiſſima, nec obſunt ventriculo. *Ex eodem.*

Paduæ eſt conſuetudo, vt ſingulis diebus Doctores medicinæ conueniant in myropolio, ibi homines accedunt, & conſulunt medicos; venit quodam die ruſticus hydropicus, & rogauit, vt curarent ac ſanarent ipſum. Medici aſpicientes eum reſponderunt, non poſſe ſanari, nec eſſe ſpem aliquam ſanitatis. Abit ruſticus plorans, & cum egrederetur è myropolio, obuiam ei venit alius doctor medicus, ac interrogauit eum cur ploret? Reſpondit ruſticus, ſe quidem conſuluiſſe doctores, verum eos omnem ſibi ſalutis recuperandæ ſpem, denegaſſe. At ſtatim doctor, ſcis cur tibi denegauerint? illi nouerunt tuam intemperantiam, & te non obſeruare, ſi quid mandent. Si mihi certo promittis te obedientem fore

meis

meis mandatis ego te ſanabo. Ruſticus promittit: medicus reſpondet: abſtineas decem dies ſaltem à potu, & melius habebis: non enim ſiti morieris. Ruſticus diſcedit, & obedit, & elapſo octiduo reuertitur ſanus in Myropolium, indicatque medico quiſnam ſit, ac interrogat, quid vlterius ipſi ſit faciendum, an adhuc diutius à potu abſtinere debeat? quia iam ſe eſſe aſſuefactum, vt facilè ſitim ferre poſſit. Medicus iubet vt non multum bibat, ſed ſingulis diebus cantharum. *Ex Philip. Sechien.*

Acetum referunt turbulenta clarare vel minima quantitate, vt gutta fermè libræ ſufficiat. *Cardanus.*

Paſtinaca ſatana, ſeu carotta lutea frequens in vſu eſt, quæ ritè concocta, donec conuenientem mollitiem acquirat, modicè nutrit, vrinam pellit, & Nephriticis conuenit. *Ex Georgio Horſtio de tuend. ſanit ſtudioſ.*

Vina hoc modo odorata ac ſalubria parantur, aduerſus ventriculi imbecillitates, ex abſynthio: aduerſus flatum, & atram bilem, ex rutha: aduerſus iecoris vitia, ex cichorio & apio eupatorioque: aduerſus lienis tumores, è tamariſco & capparibus: ad lætitiam, è croco, apio, meliſſa: ad confirmandum calorem innatum, è laſaris ſucco: aduerſus putredinem,

nem, è ſtyrace quam calamitam vocant, & ſigno aloës: aduerſus morbum Indicum, è guaia cano vocato: aduerſus oculorum obſcuritatem, è fœniculo & eufragia: ad cerebrum & cor confirmandum, è moſcho & ambra: pro renibus, ex halicacabo, betonica, cypero ac ſeſeli: proſunt & veſicæ, adde ſerpillum pro illa. Vinum ex caricis melicrati vim habet, expectorat craſſos humores vehementer, ſudorem prouocat, attonitum morbum prohibet, renibuſque haud parum auxiliatur. *Ex Cardano.*

Betæ rubræ radix cocta & raphano, fœniculo & ſimilibus cum aceto & oleo condita ſumitur, vna cum alijs cibis ſiccioribus, quæ mouet appetitum, & ſi benè digeritur, vias vrinaris expurgat: *Ex Georg. Horſtio de tuend. ſanit.*

Cœparum vſus crebris ructibus & ad caput euaporationibus moleſtus eſt, qui aliàs cum carnibus decoctis, vel alia ratione adhibitus, viſcera deterget, ab obſtructione liberat, & renum atque veſicæ mucilagines impuras attenuat atque expurgat. *Ex eodem.*

Vinum in tempore modicè bibendum potius, quam aqua diluendum, deperit enim infuſa aqua. *Ex Lemnio.*

Excre-

Excrementum pauonis ad vertigines curandas valet. Illud enim exiccatum & pulueriſatum, dragmæ vnius pondere, vino albo exceptum in plures dies manè propinatur. *Ex Quercetano.*

Spectrũ fallax quo plures vſi: ſcarabeos, vel teſtudines aut cancros cæmiterijs præſertim ſpargunt cum exiguis candelis: alij ſubtilius mortuorum capitibus intra condunt candelas, horrendamque faciem præbent. Si autem locuſtarum dorſis candelæ exiguæ annectantur, terrorem non leuem afferunt. Ignis enim ſaltare videtur. *Ex Cardano.*

nota Anſeris excrementum verno tempore collectum, ſiccatum & pulueriſatum, & cum vino albo ad dragmam vnam, vel dimidiam tantum datum, auriginoſum ſeu regium morbum penitus tollit: cuius rei veritatem, experientia ſæpiſſimè confirmauit. Pinguedo anſerum perinde ac gallinarum anatumque anodynum eſt medicamentum extrinſecus illitum. Hęc item vnguentorum & emplaſtrorum emollientium & lenientium compoſitionem ingreditur. *Ex Quercetano.*

In pullo expertum vidi in domo mea: ſcribunt hæc verba, Gibelgot gabel, imponuntque roſtro auis, inde ſtylo præ acuto perforant illi caput recta in medio, exilit-

que

que pullus & viuit, maximè in æstate. Causa
uius est, quòd pulli caput cerebrumque
ifariam est osse diuisum, os verò ipsum in
nedio duplicatum stylus penetrat quà fa-
ilè potest, & ob id illęso cerebro viuit. Exi-
imat autem vulgus harum rerum imperi-
us, vim eam verbis inesse. *Ex Cardano.*

Ego ex lotio experimentum capio,
n homines elephantiasi sint infecti. Nam
otio plumbi vsti cineres inspergo : qui si
ubsidunt, atque in imum vrceoli deuoluũ-
ur, nullum inest corpori huius morbi con-
agium : sin fluitent, atque in vrinæ superfi-
ie hæreant, infectum esse statuo. Indicat
nim humorum crassitiem, atque adustam
orruptamq; per corpus vndique diffusam
nelancholiam. *Ex Lemnio.*

Ebur venosum est, non ita ossa reli-
ua: & iuxta ignem candidus euadit, cum
eliqua ossa nigrescant: causa venarum est,
uoniam initium habet dens & finem: non
ta cætera ossa, nisi initium comparatione
d nos facta sumpseris. Verum ossa nigres-
unt, quoniam inania sunt, & multum hu-
nidi continent, siccata verò leuia, at ebur
olidum est. *Ex Cardano.*

Famis depulsiuum. Recipe amygda-
arum dulcium, excorticatarum librã vnam:
dipis vaccini liquefacti libram vnam; olei
iolarum vncias duas: Mucilaginis, Radi-

cis altheæ vnam: terantur omnia ſimul in mortario, & fiant globuli inſtar nucis Italicæ, conſeruenturque ne ſolis ardore liqueſcant. Hos contra famem compoſuiſſe Auicennam, tradit *Ioan. Iacob. VVeckeru lib. 5. de ſecretis.*

Suibus morbus peculiaris eſt grando: quæ ſi modica ſit, carnes efficit dulciores. Dignoſcuntur tribus potiſſimum ſignis: certiſſimo, quod grandines ipſas ſub lingua habent: quod vix poſterioribus pedibus conſiſtere poſſunt: quod auulſo pilo è dorſo cruor apparet. Accidit etiam morbus eis, qui ab extremitatibus ortum habens, ſerpit paulatim ad pulmones & occidit: atque ideo vbi ſtatim inuaſerit, præcidendum eſt membrum, nam in duobus aut tribus diebus pereunt. Glandes quoque ſuibus, licet iucundæ ſint & ſalutares, fœminis tamen abortum faciunt quod etiam contingit in ouibus. Sues quoque mutant culmos, & canes cæteraque animalia quadrupeda acutiores eo habent dentes, quo iuniora ſunt. *Ex Cardano.*

Animalia voracia ſeu genere ſeu propria natura, vt inter boues bos, & capras capra, plurimum lac generant. Et eæ quæ herbis paſcuntur, carniuoris. Plus enim edunt, quia alimentum eorum minus nutrit. Lac tamen augent animalibus fabæ & eruum,

ſed abortum facit in prægnantibus: *cytiſus* quoque de quo Virgilius,

Florentem Cytiſum ſequitur laſciua capella.

Tametſi dum floret, inutilior ſit in cibo, quòd adurat: flos enim immodicè calefacit. *Ex eodem.*

Serpentes omnes frigoris impatientes, hyeme abditi latent in terra, quo tempore illis pro cibo ſomnus. *Ariſtotel.*

Auena calidæ naturæ iumentorum cibus eſt communiter, ex qua tamen frequenter corticibus detractis pultes & iuſcula conficiuntur non inutilia ijs qui catarroſis affectibus & collectionibus pituitoſis circa pectus obnoxij ſunt. *Georg Horſt de tuend. ſanit.*

Tunicæ ventriculorum gallinaceorum extractæ, vino lotæ, & ad ſolem ſiccatæ & puluerisatæ, ſingularem vim habent, tum corroborãdi ventriculum, tũ calculũ comminuendi. Ex decrepito gallo, additis bugloſſa, borragine, capparibus, & modico folliculorum ſennæ, coquitur iuſculum ſolutiuum pro ijs, qui à potionibus medicis abhorrent, & melancholicis affectibus ſunt obnoxij. *Ex Quercetano.*

Cochleas ſucco proprio victitare, niſi ros decidat, nonnulli tradunt, hinc illud Plauti:

Quasi cum caletur, cochleæ in occulto latent,
Suo sibi succo viuunt, ros si non cadit.

Sic etiam terrestres cochleas solo interni redundantis humoris fomite, sustineri per integrum semestre, sub terra circa fruticum radices conditas, tradunt Aristotel. & Plinius. *Ex Philip. Sechzlen.*

Capito seu mugil carne est duriore ac insalubri, tametsi gustui gratissima sit. Capito dicitur, quoniam capite magno sit, atque ideo stupidi sensus: hoc enim necessarium admodum est: eo abscondito, se totum latere putat. Ventriculus eius, hominum ventriculo vtilis non parum esse, seu in puluerem redactus, seu ex aceto aut vino comestus, creditur: exsiccatque illius pituitam, & humidum superfluum. *Ex Cardano.*

Cichoreum frigidum siccum, amaritie suâ singulariter hepati calidiori & ad obstructionem propenso conuenit, quod maximè radices eius decoctæ perficiunt. *Georg. Horst.*

Buglossa & Borrago temperatam naturam habent, maximeque conueniunt ob singularem proprietatem spiritibus reficiendis, præsertim si flores eorum frequenter vsurpentur. *Idem.*

Herba Semperuiua, quæ Græcis ἀεί-ζωον, latinis faba inuersa, vel illecebra, officinis verò Crassula maior dicitur, è terra radicitus

dicitus euulsa ac suspensa, diutissimè viuit ac pristinum vigorem retinet. Vidi hanc sæpius in Apothecariorũ officinis filo suspensam, vento, soli, aerique expositam trienniũ iam & vltra, virore suo seruato, viguisse, imo creuisse, nullumq; contraxisse marcorem. *Ex Philip. Sechtlen.*

Butyrum sanitati multum conducit. Cum succharo ieiunè sumptũ, leniter purgat & detergit: prohibet calculi generationem: asthmaticis & tussientibus auxilio est, phlegma maturando, & ad expuitionem præparando: nec non omnibus doloribus leniendis opportunissimum. *Ex Quercetano.*

Serosa pars nobis petit laict dicta, minimè omnium aliarum substantiarum abr. Hanc nos ad remedia refrigerantia adhibemus. In Italia & alibi ex ea potiones ad purgãdum humorem, tum biliosum, tum adustum siue melancholicum parantur: dosis earum tria aut quatuor pocula, hoc est, ad viginti quatuor vncias, aut etiam vltra: in qua per noctem maceratur fumaria: alij parum succhari violarum adijciunt, ad suauiorem saporem inducendum: quod optimum est remedium aduersus scabiem, pustulas, pruriginem, morphæam, & id genus melancholicos affectus. *Ex eodem.*

Butyrum ventriculum laxat, ideoque

potius ante cibos alios quam post eosdem sumitur. *Ex Georg. Horst.*

Escreuisses. Astaci, Gallis, escreuisses, perinde ac testudines aquaticæ aut nemorosæ, nutriendi & humectandi vim habent: atque hinc asthmaticis, phthisicis & macilentis vtilissimi: quod tenaci sua & viscida humiditate, liquidam partium substantiam, euaporantem. retineant ac remorentur; & frigiditate sua, ac humiditate, febribus ac caloribus igneis sensim corpus depascentibus, frenū inijciant & contemperent. In astacis, præterquam quod elixi vel frixi cibum præbeant optimum & saluberrimum ægrisque concedendum; reperiuntur in eorum capitibus lapilli rotundi, oculi formam referentes, vnde impropriè oculi cancrorum dicti, qui in puluerem triti, & ad dimidiam drachmā cum vino albo propinati, ad calculi curationem plurimum conferunt. Astacorum testæ, exsiccatæ & contusæ in potionibus vulnerarijs cōmodè adduntur. *Ex Quercet.*

Muscæ hyemali frigore torpidæ in tabularum ac parietum rimis delitescunt, sibi ipsis sufficientes, non tam corporis exiguitate, quam frigiditate. *Philip. Sechtlen.*

Tinea bonitate & magnitudine carpioni & bramæ non respondet: maculis variegata, vt plica: carnem viscosam & glutinosam, cum insigni nutriendi vi, obtinet:

quæ

quæ crassos humores in corpore generat. Cùm oleo frixa, cum condimento ex aceto, cepa & aromate apponitur, suauissimi est saporis, quo plurimi delectantur. Per medium dissecta, in febribus intermittentibus ægrorum plantis pedum admouetur tanquam summum remedium: cuius fœlicem successum & singularem virtutem, quotidiana probat experientia. *Ex Quercitano.*

Castaneæ crudæ propter astrictionem & flatulentiam noxiæ sunt: at vbi coctæ vel frixæ sunt, alimentum præbent durabile, ventrem astringunt, & stomachum optimè sanum requirunt, alias difficulter concoquuntur & ægrè distribuuntur. *Georg. Horst.*

Bombyx, insigne naturæ miraculum, media etiam æstate, suo conclusus cortice serico, 10. minimum dies non tantum sine cibo durat, sed etiam suæ substantiæ plurimum in lanificium impendit. *Philipp. Sechtien.*

Frequens & familiaris est ranarum vsus, præsertim quadragesimæ tempore. Solæ earum coxæ, frixæ cum recenti butyro, & modico origani & menthę apponuntur. Delicatæ sunt, salubres, & palato gratæ, & asthmaticis inprimis, tabidis & phthisicis conferunt; qui ex morbi diuturnitate attenuati,

& sua natiua humiditate spoliati, sensim conficiuntur. His enim humidum primigenium instauratur ac resarcitur: præsertim si illarum coxæ in iusculo caponis elixentur, & ius illud sorbeatur: summũ enim phthisicis ac inueteratis tussibus remedium. Siquidem iusculum aridas partes humectat, somnum gratum ac vtilem prouocat. Coquuntur etiam coxæ in aqua & aceto, quo iure colluitur os, ad dentium dolores mitigandos. Ex earum spermate, initio veris, destillatur aqua, quæ extrinsecus adhibita, in extinguendis inflammationibus oculorum, aliarumque partium gangrænis, & Erysipelatis sedãdis, incomparabile est remedium: quin & impetigines faciei eadem aqua tollit, & immoderatis mẽsibus opportuna est: præsertim si linteum, ab illa spermatis ranarum viscositate sæpe imbutum in vuluam immittatur. Vel ex eodemmet linteo siccato, & in frusta conciso, fit pessus matrici applicandus: cuius virtus est omnem sistere hæmorhagiam à quacunque causa ortam. Idem linteum eiusmodi spermate imbutũ, & in cinerem redactũ, vim admirandam sistendi habet mẽses & hæmorrhoides, si puluis ille vel in matricem vel anum inspergatur. Fel præterea ranarum in cinerem redactum, & cum vino albo propinatum ad dimidiam drachmam, quartanis febribus certis-

certiſſimum eſſe auxilium, certò creditur. *Ex Quercetano.*

Ficus recentes calidæ humidæque ſunt, quamobrem alui laxandæ gratia ieiuno ſtomacho comeduntur: at ſiccæ calidiores & ſicciores ſunt, quapropter vim abſtergendi & attenuandi poſſident. *Ex Georg. Horſt.*

Optimæ limaces ſunt quæ in vineis & circum ſepes reperiuntur. Eorum teſtæ in aceto diſtillato ſolutæ, & in magiſterium redactæ, non minorem virtutem ad calculi expulſionem habent, quam magiſterium ex corticibus ouorum aut lapide Iudaico paratum. *Ex Quercetano.*

Aſellus (Stockfiſch) vbi recens eſt, carnem friabilem & concoctu facilem habere dicitur: at exſiccatus & induratus non tantum fuſtigatione, & maceratione plurimum indiget, ſed præterea quò concoqui poſſit, ſinapi, zingibere, butyro & ſimilibus maximè condiri debet, nec alijs quam robuſtiori ſtomacho præditis præſcribendus eſt. *Ex Georg. Horſt.*

Multi hodie in præſtantiſſimum & promptiſſimum tertianæ febris remedium habent oleum, quod chymica induſtria ex pipere elicitur, cuius aliquot guttæ, ex aliquo idoneo liquore exhibentur: huius olei vis eſt, tartarum, in quo ſeminarium morbi

continetur, diſſoluere, ac ſolutum per vrinas aut ſudores diſcutere, vt ex eo, quam elegantiſſimæ ac certiſſimæ curæ præſtentur, prout quotidiana demonſtratur experientia. Vſitatus eſt etiam piperis vſus aduerſus dolores & inflammationes ſtomachi. Eius enim tria grana, vel integra, vel per medium interſecta, deglutita, mirè eiuſmodi dolores & promptè compeſcunt: nec minorem obtinent in hanc rem virtutem, baccæ iuniperi: quæ in eiuſmodi affectibus præſcribi ſolent. *Ex Quercet.*

Si coactus fueris in edendo multum, ſurge è medio & vome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem, *Eccleſiaſt.* 31. *cap.* Sed præſtat D. Ieſu præceptum obſeruare & attendere nobis, ne forte grauentur corda noſtra in crapula & ebrietate & curis huius vitæ. *Luc.* 21. Si id factitarem⁹, nõ opus eſſet tot medicamẽtis. *Ex Anonymo.*

Zinziber virtutis ſalis aronici particeps eſt, vt quod pungat & vellicet linguam, atque idcirco vim diſcutientem habeat, attenuantem & aperientem, proſitq, obſtructionibus & doloribus hepatis expediendis, nec non quartanis & alijs id genus morbis profligandis. *Ex Quercetano.*

Si velis vomere, aquã tepidam ſumito, eique grana aliquot piperis contuſæ indito, digitum ori inſerito, ſicq; vomitum prouocato:

cato:

cato: Tepida enim aqua nauſeam mouet. *Ex Anonymo.*

Purgatio optima. Recipe cõfectionis hamach vnciã vnã, inſtar boli cattello vel alio inſtrumẽto ægris ꝓpinari poteſt. *Ex Anony.*

Caryophyllorum oleum craſſiorũ eſt partium inter alia olea aromatica, quò fit vt ſtatim fundum aquę petat, cũ alia olea aquæ ſupernatare ſoleant. Hinc oritur tanta eius caliditas, tanquam diuturna, vt propemodũ vim cauſticam poſſideat. Eius vſus eſt in doloribus dentium. Quod ſi intro aſſumẽdum eſt, vel aliquot eius guttæ electuario alicui ſolido admiſcentur, citra ignem, vel ex eiuſdem guttis aliquot tabellæ iam concinnatæ perfricantur extrinſecus ex penna, aduerſus cruditates, flatus & incoctiones imbecillis ventriculi, cuius promptum vtiq; præſtanſque remedium eſt. *Ex Quercet.*

Qui delinquit in conſpectu eius qui fecit eum, incidet in manus Medici. *Eccleſiaſt.* 38. Sapienti dictum ſat eſt.

Pro laxãdis alui vijs plurimum in victus ratione eo reſpiciendũ vt promittãtur liquidiora, non ſolũ tẽpore prandij ipſius, aut cęnę, ſed ſimul etiã horę ſpatio, priuſquã alios cibos ingeramus. Inprimis huic negotio cõueniunt pruna Damaſcena numero 8. vel 9. vino prius per noctẽ macerata, & hoc modo cõmeſta. Prunorum quoq; decoctũ hauſtũ

 pleni o-

pleniori ſumptum, optimè ſua humectatione læuigat & laxat. *Ex Georg. Horſt.*

Biſcoctum reginæ hoc modo paratur. Recip. farinæ albiſſimæ, & ab omni furfure optimè repurgatæ vncias 12. ſacchari albiſſimi vncias 16. ouorum N. 12. è quorum tribus vitelli ſeparandi ſunt, ne maſſa nimium flaueſcat: adde aniſi & coriandri quantum voles; omnibus mixtis & probe agitatis fiat maſſa liquidior: quidam addunt paululum fermenti. Maſſæ particulas excipe cuculis paruis, ex papyro factis, aut ex ferro albo: quas in furno mediocriter calefacto repone: poſt ſufficientem coctionem tollantur cuculi: & maſſa folijs chartarum expoſita, ad lentum calorem in eodem furno reſiccetur. Biſcoctũ hoc loco calido ad vſum ſeruatur, & offertur inappetentibus, quique alium cibum difficulter aſſumunt. Infuſum cum aqua vel ptiſana vel vino & ori admotũ liqueſcit. Aliud eſt biſcocti genus, quod Hiſpanicum dicitur, cuius præparandi modus hic eſt: Recip. farinæ & ſacchari albiſſ. an. lib. j. ouorum N. 15. paulatim miſce, benè multumque agitando: adde aniſi & coriandri, quãtum voles, fiat maſſa liquidior: quæ in fornacula ferrea, minori & maiori, pro inſtituti ratione, aliquãtulum detineatur, deinde in furno calefacto ſufficienter coquatur: & cocta in laminas ſecetur te-

nuiſſimas : quæ rurſus igni reſicca
admoueantur. Biſcoctum hoc ſua
te, ad primum illud proximè acced
Quercet.

Sunt barbi quaſi barbati quatuor appendicibus in mento : creduntur è mugilum genere eſſe : oua menſe Maij illorum ſi edantur, afferunt tormina & bilis vomitum: exiſtimaturque id contingere, quod eo tempore floribus populi alatur : hic piſcis frequens apud nos & vilis. Eſt enim adagium, Barbum neque frigidum, neque calidum, nec elixum, nec aſſatum, eſſe bonum. *Ex Cardano.*

Cynamomum ad vina Hypocratica vt vocant componēda præ alijs aptiſſimum eſt, adiecta ſacchari ſufficiente quantitate: à quo hippocraticum dulce ac gratum redditur, quo magna vtilitate, cum propinatur, ſtomachus imbecillus hyeme mediocriter incaleſcit & corroboratur. *Ex Quercetano.*

Si lacti fuliginem miſcueris, rubeus fit color. *Ex Cardano.*

Vinum abſynthites ſingularem ventriculi roborandi vim obtinet, confert præterea hepati & reliquis partibus nutritioni famulantibus. Illas enim ab impuritatibus & corruptionibus liberat, & à vermibus repurgat. Fit duobus modis: primò cum muſto tempore vindemiarum: ad quod inſtitu-

tum comparandum eſt doliolum aliquod, quindecim vel plurium menſurarum. In vas illud indere poteris abſynthij Romani exſiccati lib. duas, tres vel quatuor pro libitu. Deinde doliolum implebis muſto recenti, ebullireque ſines per aliquot dies, nouum perpetuò muſtum alternis diebus reaffundendo, quo vas ſemper repletum maneat, & vinũ à ſuis fœcibus repurgari melius queat. Poſt perfectam & abſolutam ebullitionem imple totum doliolum eodemmet muſto, & optimè claude. Sine omnia ita macerari, & digeri, nec ante diem vigeſimum vel menſem vnum, hoc bibendum exhibe : donec per hoc temporis ſpatium digeſtum & clarefactum ſatis fuerit. Durat per annum vnũ vel plures. Doſis eſt vitri vnius medietas. Germani de eo manè propinant pocula plena : quin vidi qui quotidie in prandij principio magnum eius hauſtum ſumebant. Secundò paratur illud vinum omni tempore hoc modo : Pone dictum abſynthium minutim inciſum, in vas vitreum, ita vt repleat tertiam eius partem, vel vltra : affunde vinum album optimum, vſque ad ſummitatem fere vaſis : vas optimè clauſum ponatur in repoſitorio, aut loco quodam tepido, ad macerandum per 10. aut 12. dies : interea temporis vinum extrahet abſynthij virtutẽ atq; ſaporem, quod in phiala illa relinquas:

& lo-

& loco eius, quod in vſum quotidianum detrahitur, reaffunde nouum vinum generoſum: & ſic habebis vinum abſynthites, quod diu quoq; ad prædictos vſus ſeruari poteſt. Si id magis ſpecificum ad vermium expulſionem reddere voles, adde flores hyperici, vel centaureæ minoris. Ad eundem modum præparantur vina ſimplicia ex floribus Roſmarini, & baccis iuniperi. Sic quoque vina ſimplicia ex radicibus acori, angelicæ & floribus ſaluiæ ad frigidos cerebri affectus, cõcinnantur. Vina enulatum, & de tuſſilagine conferunt aſthmaticis & cæteris pulmonũ affectibus. Vinum bugloſſæ, cordi amicum ac ſalutare eſt, ac medetur omnibus affectionibus melancholicis. Vinum aniſi colicos cruciatus mitigat atq; diſcutit. Vinum ſantalinum iecinoris ſubſtantiam ſuſtentat, atque corroborat. *Ex Quercet.*

Perſequuntur apes mel ſublatũ, cũ caſtrãtur aluearia, tã ſolerti cura, vt vix abſcõdere liceat, inuentũ deuorant & abſumunt: inde orta opinio odiſſe fures ac furta: fures ſanè & ſuo genere, qui nõ deſunt, obſeruant: inuentos perſequuntur & occidunt, maximè ꝙ tumidi vix explicare ſe poſſunt. *Ex Card.*

Præparatio vini ophtalmici. Accipe vindemiarum tempore muſti ſeu vini recens facti, menſuras ſeptem vel octo, plus minus, infunde in doliolũ huic inſtituto deſtinatũ:

in

in quo prius indideris euphrasiæ exiccatæ manipulos sex, seminum, fœniculi, & sileris montani, ana vncias quatuor cinnamomi vncias duas: florum stoechados. Arab. manipulos duos: hæc omnia (impleto dolio & clauso) ad macerandum ponantur per tres hebdomadas, vel vnum mensem, antequam ad vsum veniant. Huius vini vncia vna vel duæ sumendæ sunt horis matutinis, & diu id continuandum est: eximias enim vires habet visum acuendi & ventriculum roborandi. *Ex Quercet.*

Artischocæ vel cinaræ fructus calefacit & siccat, flatulentus est & per consequens venerem stimulat, si iusto modo pipere, pinguique carnium iusculo præparetur. *Georg. Horst.*

Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum & frequentes tuas infirmitates. *Ex D. Paulo 1. Timoth. 5.* stomachicis vini vsus isque exiguus conuenit, saluo meliori iudicio. *Ex Anonymo.*

Ad preparandum vinum antinephriticum, musto impleatur doliolum sex mensurarum; in quod prius indideris alkekengi mediocriter exiccati sesquilibram, radicum restæ bouis & iringij exiccataram, & in talleolas sectarum, an. vncias sex: seminum personatæ, saxifragiæ, milij solis, ana vncias

tres:

tres: florum genistæ, maluæ, bismaluæ, ana pugillos quatuor. Omnia macerentur, vt supra (vaso obturato.) Huius vini accipiendæ sunt vnciæ duæ, per quatuor dies, horis matutinis, idque decrescente luna: purgatione præmissa cum bolo Cassiæ, aut cum nostro lenitiuo antinephritico, in pharmacopæa nostra descripto. Hoc vinum liberat renes ab arenulis: & præseruat corpus à calculi generatione: illumque generatū frangit & exturbat: præsertim si vrgente dolore & stranguria, æger eo vino in balneo aut semicupio constitutus vtatur. *Ex Quercetano.*

Pruna præsertim Vngarica & Damascena, modicè nutriunt & aluum apertam retinent. Notandum tamen quod frequentissimus eorum vsus imbecilliori ventriculo non conueniat, propterea quod robur eius laxando dissoluant. *Ex Georg. Horst.*

Vinum chalybeatum fit hoc modo. Accipe quatuor vncias limaturæ chalybis vetustissimæ & rubiginosæ, perque reiteratas ablutiones, ab omnibus sordibus optimè repurgatæ, quam indas in alembicum: addendo rasuram eboris, cornu cerui, ana vnciam vnam: corallorum puluerisatorum, perlarum puluerisatarum ana sesquiunciā, cinnamomi drachmas sex: garyophyllorum drachmas duas: cetherac, florum genistæ, Epithymi, ana pugillum vnū: spec. 24. diatrisan-

triſantali & linteolo inuoluti ſemiunciam: vini albi optimi menſuras duas Pariſienſes, quæ faciunt ſex libras vel circiter: ſacchari cãdi vncias octo: operiatur vas cum charta ſaltem, & macerentur omnia in loco frigido per octiduum: bis in die, veſperi ſcilicet & manè, cum ſpatula lignea noua, optimè verſando & agitando. Deinde tranſcolentur per manicam Hippocraticam, & vinum ſeruetur in phialis bene obturatis: diu enim ſeruatur. Hoc vinum inprimis conducit aduerſus cachexiam, hydropiſin, icterum, inflammationes, tumores & obſtructiones tã hepatis, quam lienis. Ab initio vnum tãtum cochleare dandum eſt, vt huic remedio paulatim aſſueſcat ventriculus: mouet enim interdum nauſeam atque vomitum. Poſtea ſenſim augenda eſt doſis vſq; ad tria cochlearia, & hoc continuãdum per plures dies. *Ex Quercet.*

Solent quædam cuique propria eſſe, non omnia omnibus: cotonea enim ſuſpẽdi ſolent, tum etiam vuæ, pira in ſapa obruta, ſorba diſſecta & in ſole macerata, nuces in arena, oleæ in muria, rapæ in ſinape. *Ex Cardano.*

Vinum purgans faciliimæ præparationis. Recip. Senæ vnciam ſemis: pone in vitrum paruum, addendo cinnamomi contuſi, drachmam ſemis: gariophyl. N. quinque

aut

aut ſex : vini albi quantum ſufficit: claude vitrum cum charta, vel bombace ſaltem: addendum, ſi voles modicum ſucchari, Omnia macerentur in loco frigido per dies tres, quoad vinum ſufficienter tinctum ſit. Huius vini ſumantur cochlearia duo vel tria mane, cum iuſculo, ſi placet; ac tantundem ſerò : idque continuetur ad dies duos vel tres. Remedium hoc ex vncia ſemis tantum ſenæ præparatum (quod vel infantibus & prægnantibus offerri poteſt) ſi continuò ad tres vel quatuor dies ſumatur, blandè & vtiliter corpus purgat. *Ex Quercetano.*

Allia propter roſas conſita illas odoratiores præſtant, quia alliorum acrimonia ac caliditas, inſitas illis vires excitat atque elicit: quæ enim ex frigiditate langueſcunt, calore acuuntur. *Ex Lemnio.*

Conſummata inter ea, quæ optimè nutriunt primas tenent: & ob hanc cauſam, longis & diuturnis morbis inprimis conueniunt: nec non ijs, qui viribus exhauſtis prorſus languent: parantur ex capone, vitulina & veruecina : quæ carnes longa coctione adeò conſumuntur, vt in minutiſſimas diſſoluantur particulas : cum quibus ius per linteum fortiter exprimitur: pinguedoque ſupernatans inde vel pennâ, vel oris flatu ſecernitur. Refrigeratum in gelatinam congelatur : & in patina

ad

ad ignem lentum resoluitur: cuius quatuor vel quinque cochlearia ægris exhibentur, singulis quatuor horis semel præsertim si alimenta solidiora assumere nequeant. *Ex Quercet.*

Castaneas si quis volet conseruare intactas, nuces basilicas ex iuglande collatas inspergat. Omnem siquidem vliginem atque humorem excrementitium, qui cariosas eas efficit, atque euanidas absorbent, situque obduci prohibent. Est enim eius natura nux regia, vt exsiccet, humoremq; deposcat, vnde salubriter tonsillis &c. omnibusque gutturis vitijs adhibetur, in quem vsum Diacaryon, hoc est, nucibus antidotum inficitur, quod omnes à capite fluxiones sistit ac reprimit. *Ex Lemnio.*

Oleum vitrioli, cuius tanta est acrimonia, vt corium & pannum corrodat, Matthiolus tanquam summum remedium ad calculi comminutionem & vrinæ suppressionem, ad asthma item & spirandi difficultatem, cum conuenienti liquore exhibet: & quorundam admixtione vim ipsius acerrimam corrigit. *Ex Quercet.*

Adeò in ouibus ventorum ratio dominatur, vt vix ouem flante borea, arietem austro generari contingat. *Ex Cardano.*

Notum est omnibus in Guaiaco tres diuersas inesse proprietates: diureticam nempe

nempe in ſpiritu acido : ſudoriferam in oleo: cuius guttæ aliquot cum vino aut iuſculo infuſæ exhibentur : & vim purgantem ſale : cuius vnus vel duo ſcrupuli, cum aqua propria, ſeu liquore acido, pro doſi ſufficiunt. *Ex Quercet.*

Veteres ne per ſomnium quidem cogitarunt: ipſum antimonium, cum tam nigri coloris, tamque terrenæ & craſſę ſit ſubſtantiæ, in vitrum candidum & pellucidum, inſtar Chriſtalli, & rubrum inſtar rubini, ſola calcinatione & fuſione tranſmutari poſſe: neque opinor ſuſpicati ſunt vnquam, in eo inſignem latere purgandi vim : ſicuti certò conſtat, illud in exigua doſi, 4. tantum aut 5. granorum, in vino vel aqua maceratum, & ſumptum, tanta vehementia corpus purgare, vt tam ſupernè quam infernè, valentiſſimè purget : ponderis & virtutis quantitate non imminuta. Quoties enim idem denuò infunditur, toties nouam purgandi vim liquori impartitur, citra virium ponderiſque imminutionem. *Ex eodem.*

Aurum & argentum aqua ſeparationis ſolue, aut ſolutum denigra, inde aurum plumbo, argentum aqua pici liquefactis immiſce, aut arenæ : & ſic occultè deferes. *Ex Cardan.*

Ex omphacibus, hoc eſt, vuis immaturis conditura fit ad ſedandam ſitim peropportu-

opportuna, febricantibus omnibus vtilissima. Ex *Quercet.*

Raphani, quouis tempore salubres, nephriticis præsertim. Aqua eorum stillatitia est præsentissimum quoque calculi remedium: cocti etiam & contusi in forma cataplasmatis, pectinis & perinæi regioni feliciter applicantur, vt hinc crassa illa & mucilaginosa materia dissoluatur: sicut illorum effectus specificus in hoc statim se prodit, quod acris sapor eorum, tam sit efficax, vt quamprimum sali marino, intercedente quantulocunque spatio, admoueatur, illum statim resoluat, & in aquam conuertat. Eandem ferè vim & proprietatem habent rapa, & napi, qui eius generis sunt: communis enim illorum vsus est, vt iura indè boni saporis parentur. Sed in excessu vsurpati, cruditates, flatus, & ventriculi imbecillitatem generant, adeò vt hoc modo corpori maximum inferre damnum queant. Ex *Quercetano.*

Modus occultandi res in solidis corporibus. Ex onichis fragmentis, cerusa, oui cortice, ac cera, gluten fit, quod fissuras & rimas occultat in marmoribus, parietibus, ouis, atque alijs rebus albis: addi potest & gypsum, & pro subiecti ratione variari, quoniam ex his quædam candidiora, quædam minus candida. Eadem quoque ra-

tio

tio silicum, lignorum ac metallorum. Sed & in lignis viridibus summa vi diuulsis, exemptaque parte quanta opus est: inde religatis partibus, vt coalescant, præsertim in ipsa arbore lignum consolidatur, vt absque suspicione sit. *Ex Cardan.*

Fasciculi ex lupulo concinnati paululum decoquuntur: ex quibus oleo, aceto saleque admistis) quam optima acetaria fiunt: quorum vis aperiendi, detergendi, & crassos humores incidendi est: heparque ipsum, & reliqua viscera nutritioni dicata obstructionibus expediendi: Lupulus quinetiam in iusculo coctus, totam sanguinis massam emendat: biliosum & melancholicum humorem simul & semel contemperando & purificando, repurgat. Idem præstant aqua & syrupus ex eius succo concinnatus. *Ex Quercet.*

Melones delicatis & magnatibus suauissimi sunt, vbi cum sacc haro & pipere comeduntur, aquosam atq; frigidam naturam habent, ideoq; in magno æstu sitim sedant, & aquositate sua renes detergent. Cucumeres immaturi sale cõdiuntur & modicè in acetarijs apponuntur, frigidam & minus humidam Melonibus naturam possidentes, ijs maximè conueniẽtes, qui calidiores & ventriculum feruidiorẽ obtinent, in copia frequẽter vsurpati succum crassiorẽ generando

pituito-

pituitoſos atque crudos ſuccos cumulant.

Ex Georg. Horſt.

Accipiuntur ceparum aliquot ex albis maioribus, quæ cum butyro, aqua, & ſale, vel cum carne bubula & veruecina coctę, reddunt iuſculum gratiſſimi ſaporis: quod ſaluberrimum & vtiliſſimum eſt ad vrinam ciendam. Inueniuntur plurimi, qui his maioribus cepis, ſuper carbones coctis, & ad dulcedinem redactis, in acetarijs vtuntur: quin etiam ipſæ pro remedio contra inueteratam tuſſim & pulmonum affectus, cum ſolo oleo ſine aceto, veſperi exhibentur: Multi, cepulis teneris recentibus, in acetarijs omninò crudis vtuntur, ad excitandum appetitum, quod vtique non vſque adeò improbarem, ſi modò crebris ructibus eiuſmodi non moleſti poſtmodum forent, nec nimis immodicè ab ijſdem ſumerētur. Nam viſcera detergendi mirabili pollent poteſtate, eademque ab obſtructione & infarctu liberant: renumque ac veſicæ impuras craſſaſq; mucilagines attenuant & expugnant.

Ex Quercet.

Ferrum & chalybs rubiginem longè facilius contrahunt, quam æs æruginem: multoque magis ab ea vitiatur ferrum, quā æs: ideò ſeruantur quæ ſeruari poſſunt, furfure: quæ autem feruntur, aut ſub oculis eſſe oportet, oleo illinuntur. Fit rubigo &

ærugo, quoniam calor metallorum exiguus est: ob id neque aurum neque argentum rubigine tentantur: minus tamen aurum. Oleum igitur prohibet generari aqueum humidum: furfur verò & generari prohibet illud, & genitum aufert, ob idq; tutius auxilium. *Ex Cardan.*

Iuglandes nuces adhuc immaturæ, cum suo viridi cortice condiuntur saccharo, ad corroborandum, & calefaciendum ventriculum: quæ myrobalanorum locum supplent. Ex harum nucleis siccis exprimitur oleum nucum, vulgò notum: cuius vsus est ad cibos condiendos, nec non in medicina ad curandam cholicam flatulentam: siue solum, vel cum vino generoso in clysterum, carminatiuo (vt dicunt) decocto addatur. *Ex Quercet.*

Si dura sint corpora, sed inania reboant: pumex autem non reboat, quoniam tener est. Et hæc quæ caua sunt & dura, resonant: quòd si cauitates sint exiguæ, substantia verò durissima, vt in cupro, resonant diutius, & eo magis cum forma ea sunt, vt aër colligatur: sæpiusq; repercutiatur, vt in nolis. Aurum & plumbum non resonant, quia mollia sunt & solidissima: æs & ferrum plurimum, quia dura, & poris (vt Græci dicũt) plena. *Ex Cardan.*

Ex auellanis oleum extractum, dolo-

ribus arthriticis prodeſt : cortices illarum virides in puluerem redacti, & ex vino ſumpti, ad dragmas duas, diarrhoeam & menſes albos ſiſtunt. Putamen itē coloris rubei, ad drachmam vnam, cum æquali corallorum rubeorum pondere, ſumptū cum aqua Cardus benedicti, aut papaueris readis, quamuis vulgare, ſpecificum tamen auxilium eſt & probatiſſimum in pleuritide. *Ex Quercet.*

Albertus refert, in Phryſia, nulla cura, ſed ſola pinguium paſcuorum cauſa (eſt enim locus paluſtris & pabuli copia abundans) boues ad equorum magnorum altitudinem creſcere. Iuuat etiam ad magnitudinem, ſi vituli caſtrentur, quoniam humidiora redduntur corpora. *Ex Cardano.*

Tollitur lactucæ frigiditas eximia, vnica ebullitione in aqua feruenti facta : ex qua poſtea cum oleo, aceto & ſaccharo fiunt acetaria quam optima ſalubriaque. Lactuca quin etiam, infrigidandi ſomnumque conciliandi cauſa, vtimur iu iuſculis per totam æſtatem. *Ex Quercetano.*

in juſculis

Si ſani hominis ſaliua ad multa percipitur efficax, adeò vt non modo animalcula quædam, ſed argentum viuum extinguat, atque mobilitatem illi eripiat : quid de ijs ſtatui debet, qui elephantiaſi ſeu lepra, ac morbo Neapolitano, alijſque contagioſis morbis ſunt contaminati ? equidem

dem noui complures qui pustulas atque exauthemata contraxerunt, admotis ori cyathis, quibus infectorum saliua adhæserat. *Ex Lemnio.*

Iræ incommoda quot & quanta. Ex hac furiosæ bilis commotione & continuis fluctibus, animus & spiritus primum agitantur, totum corpus concutitur, sanguis alijque humores incalescunt & conturbantur, ac inprimis ipsa bilis inflammatur, quæ stomachosis omnibus & iracundis imperat: cum enim tota sit sulphurea, reliquis omnibus citius incenditur: inde ardẽtes nascuntur febres, & tertianæ biliosæ, inde pleuritides, omnesq; aliæ inflammationes internæ, ab eodem humore à suo temperamento excidẽte excitantur: inde varia porrò procreãtur mala, cùm interna, tum externa: vt cholera seu cæliacus aut iliacus morbus, qui tamẽ sumpto antimonio per inferiora & superiora expurgat: vt icterus croceo colore totũ corpus inficiens: vt Erysipelas, ignes persici, erpigines & nomica vlcera externas partes corporis, instar lepræ depascẽtia. *Ex Quercet.*

Pulueres vt subtilissimi euadant. Quæ teruntur, vt tenuissima euadant (nam hoc vtile est planè medicamentis internis: cum liquoris vim habeant, & facilè ac celeriter ad mẽbra penetrent, & externis ne acrimonia lædant: & ad plasticã artem, dũ minimas

 refe-

referunt imaginum differentias: & ad mix-tionem perfectam, ex qua firmitas operis oritur: & ad naturæ imitationem, quæ facilè complexa tam tenuiter mutat) igne in ferreo vase vrenda sunt, inde aceto & aqua terenda, post in aqua copiosa mergenda, turbandaque aqua: & paulò post vbi aliquantulum subsederit, leniter detrahenda pars quæ pulueri superstat: infundenda autem sæpius aqua, sæpius turbanda, sæpius educenda: quod tandem subsidet, denuo vrendum terendumque: vbi totus puluis sic cum aqua eductus fuerit, siccata aqua per se terendus est, & setaceo cribro valde denso cribandus: vt sint trituræ tenuiores partes, vrere, terere, aquæ permiscere, atque cribrare. *Ex Cardan.*

Scorbutum, eiusque malignos à liene vapores, vnde vlcera oris & pedum cancrosa, gingiuarum putredo, dentium pernicies, non opus est inculcare: cui specificum non autores & volumina veterum, sed diligens inuestigatio, & experientia subministrauit remedium, vt libra vna decoctionis hordei, vini albi vnc. vj. raphani agrestis minutim concisi vnc. ij. Cochleariæ quæ Nasturtij est species M. iij. contusæ & expressa sine coctione, in succum quotidie manè & vesperi bibendum concinnentur, præmissis purgationibus. *Ex Quercet.*

Margarita quomodo dissoluantur. Destillantur etiam & colliquantur quæ lapidea sunt, sed molliora, vt margaritę, coralli, smaragdi. Vt ergo margaritas dissoluas (nā hoc propono quia expertum est) ipsas integras laua, succumque limonum bis aut ter cola, inde merge, & soli expone: in quinque aut sex diebus colliquantur, vt mellis, quod ad substantiam attinet, similitudinem referant. Ego si hoc olim nouissem, diues in paucis diebus euasissem. *Ex Cardan.*

Oxalis siue acetosa, frigida & sicca, incidit aperitque omnibusq; resistit putrefactionibus ac idcirco confert febribus pestilentialibus & ardentibus, humorem biliosum excandescentem coërcet: hepar nimium æstuans, mirificè contemperat. Hæc herba cum radice cocta, in iusculo sumitur. Ex succo eius expresso condimentum fit, cuius vsus frequens est admodum in condiendis pluribus diuersisque cibis: qui singularem inde saporis iucunditatem nanciscū-tur, & hac ratione vtiles etiam redduntur, pro ea nimirum qualitate & proprietate, qua ipsam pollere diximus: fit ex eius succo scrupus ad febres putridas. *Ex Quercet.*

Nux iuglans viridis & immatura cum saccharo condita medicamentum vtile stomacho nec palato ingratum constituit, cuius vsus accommodatus esse potest in ma-

gnis fauciũ inflammationibus. Matura verò difficulter concoquitur,& capite, pectoreque laborantibus nocet: ſubſtantiam habet oleoſam, quam ob cauſam commodè ſale corripitur, ne viſcerum obſtructionibus anſam præbeat. *Ex Georg. Horſt.*

Columbæ boni ſunt nutrimenti ac laudabilem generant ſanguinem, & natiuum ventriculi calorem fouent, ob quam cauſam ſenibus maximè proſunt, omnibuſq; ijs qui pituitoſis & frigidis affectibus infeſtantur. Remedia quoq; non vulgaria ex ijſdem ſumuntur. Sanguis enim illarũ calidus, venarũ ſub alis ſectione exiliens, oculis immiſſus, illorum dolores mitigat, contuſiones ac ἐκχυμώσεις curat, omnemq; ſanguinem in illis cõcretum diſcutit. Viuæ etiam per medium diſſectæ, & vertici capitis aut ſincipiti raſo, ſanguine adhuc calẽte applicatæ, ſymptomatũ vehemẽtiã in phreneticis leniunt: bilioſas exhalationes atq; vapores, vnde cauſa morbi dependet, conſumendo atq; diſcutiẽdo: ſtercus earum cataplaſmatum & emplaſtorum cõpoſitioni ſæpe additur ad apoplecticos & lethargicos affectus, quibus nitroſa illi⁹ vis plurimum confert. *Ex Quercet.*

Charta pergamena trãslucida fit vt vitrũ, nec tamen fragilis redditur, ſi ſuper ferrũ leue calidiuſculũ ſenſim lachryma abietis aut laricis imbuatur. Vtilis maximè ad aſtrono-

mica

mica instrumenda fabricanda. *Ex Cardano.*

Cotonea mala, sub prunis & cineribus cocta, & saccharo cõspersa, bellarijs inseruntur. Vim habent adstringendi, & orificium ventriculi corroborandi, ciborumq; vapores coërcendi, ne cito sursum ascẽdendo, cerebrum petant. Gratissimi sunt saporis: cordisq; vires roborant, ac stomachum veneno infectum restituunt, siue id inrra corpus, à prauis humorib. excitatum, siue extrinsecus ingestum fuerit. Apponuntur mẽsarum initijs, alui adstringendæ roborandæq; causâ, aduersus diarrhoeam, lienteriam & dysenteriam. Quin & vomitiones cohibent, & subuersum ventriculum restituunt. *Ex Quercet.*

Panatella conficiẽdi modus Recip. medullam panis cãdidissimi minutim infricatã, & probè in patina argentea, super carbones exiccatã: infunde cum iure caponis, diebus n ẽpe sarcoticis, aut cum lacte dieb. asarcis: coque in ollula, superinfundendo continuo ius caponis, vel lac vsque ad perfectam decoctionem: hæc panatella ægris quouis tempore porrigi potest. *Ex eodem.*

Sanauarola scripsit anno bissextili sterilescere animalia & mulieres: q̃ verò pepererint, cũ labore pariunt. Et ꝙ mai⁹ est ac prodigio simile, cuspidẽ seminũ ac nacleorũ fructuũ, maximè mali, ꝙ apium vocant, non ad florẽ seu apicem pomi, sed ad pediculum verti. *Ex Card.*

Primo Decembris canis occidit matutinis horis, quæ dies, vt scribit Aëtius, si tempestuosa (vt à multis obseruatū est) perseuerat, plerunque aëris turbatio ad dies xxxvij. Si verò serena fuerit, per totidē dies serenitatem promittit. *Ex Quercet.*

Non solum qualia sint, quæ sentiuntur considerare oportet: sed qualiter inuicem conueniant, si socianda sint. Nam moschus per se optimè olet: cū styrace aut poro, minimè. Absynthium cum rutha, alijsq; amaris herbis, tum ouis & caseo, item oliuæ cum sale, optimi sunt saporis: absynthium saccharo reliquisue dulcibus mixtum, nauseam mouet: sic absinthium sali benè sociatur, sapæ inutiliter. *Ex Cardan.*

Caper aut capra mane etiam occidit, aliquot diebus ante hybernum solstitium: quo tempore sol ad Capricornum diuertit, hyemsque glacies suas in regione aëris inchoat: vnde corpora nostra rheumatis & defluxionibus opportuna fiunt. Scribit Ægineta solstitium hybernum augere in humoribus defluxionem ac humiditatem vsque ad æquinoctium vernum. *Ex Quercet.*

Imaginatio quibus in causis plurimum possit. Prima vis imaginationis est in venere: cum illa enim maximè excitatur, aut extinguitur. Secunda est in somno, vnde ego cùm audio Polyphili historiam, statim dormio.

Tertia

Tertia eſt vomitus, vt enim fœda quaſi ſub oculis proponimus, ſtatim nauſea excitatur. Quartus locus eſt in prægnantibus, quę fœtus maculis ex deſiderio inficiunt. Quinta vis eſt in ſonis, quorum memoria, horribilatio, & quandoq; horror nos inuadit. Poſt hæc vires obſcuriores ſunt, vt mingentium. Sed tamen mortis imaginatio potens eſt, quæ ſi ſit magna, ſecundo loco reponi debet. *Ex Cardan.*

Ad corroſos dentes. Nigella Romana torrefit, teritur ex aceto acri, denti imponitur, zinziber, radix capparis, angelicæ vel ſylphij, tormentillæ vel lapathi acuti in aceto coquitur, acetum colluitur, cocta radix adhibetur denti. Benzoinum, oppoponax ſoluto oxymelite adhibentur denti. Sal cum alumine vritur, extinguitur aceto, acetum colluitur, materia dēti applicatur. *Ex Holer.*

In quibuſdam morbis opportunum erit, cubicula ſuffire ſuauibus odoribus, vt caryophyllorum, auicularum Cypriarum, aut ſuffumigio aliquo alio ex fragantibus rebus ſuauiſſimi odoris concinnato. Huius generis ſimplicia ſunt, grana iuniperi, myrti, benioini, caryophyllorum, galliæ muſcatæ & ſimilium. *Ex Quercet.*

Aquarum natura multiplex eſt, ſed quæ expers eſt omnis ſaporis atque odoris, & frigida non multum, ea optima eſt: cæterę

 malæ

malæ: deteriores autem, quæ ſaporem aut odorem improbum habent. Omnis calida medicamentoſa. Omnis mali odoris, aut ſaporis, aut turbulēta, quæ non clareſcit, exitialis & peſſima. Quæ odorem aut ſaporem gratum habet, vtilis, ſed non in cibo. Flumina quæ in oceanum influunt vſq; ad viginti quinq; millia paſſuum, corruptam habent aquam. Quandoq; etiam vſque ad centum millia paſſuum. Quæ verò in alia maria non ita, ſed ad quatuor duntaxat aut quinq; millia paſſuum. Cauſa eſt quod Ocean⁹ refluit, & refluendo longius inficit aquam ab oſtio, quam maria reliqua *Ex Cardan.*

Ex granis ſambuci probè maturis & ad vmbram per aliquod temporis ſpatium exſiccatis, extracti genus efformabis, quod eſt ſpecificum hyſtericum : idque chymici vocant extractum granorum actes , cuius præparatio ſequentibus verbis continetur. Collige magnam copiam granorum ſambuci optimè ad vmbram exſiccatorum: cæteriſque omnibus abiectis, ſola grana accipe, quibus ad mediam partem imple matracium magnum cum longo collo , ſuper affundendo fortiſſimum ſpiritum vini, acidulum redditum cum liquore acido, vel vitrioli vel ſulphuris, vt materiam tres quatuorue digitos ſupernatet. Vaſe clauſo, vt nihil expiret, fiat digeſtio in B. M. per 5. aut 6. dies, donec

donec ſpiritus vini in colorẽ rubini tinctus apparuerit quã ſeparabis per inclinationẽ, cauendo ne quid ex fæcibus aut turbulenta materia ſimul trãſeat. De qua tinctura iam, non etiã ſeparato prius menſtruo, hoc eſt, aqua vitæ, q̃ ſine corruptione aut alteratione vlla diutiſſimè adſeruabitur (& cui ſi voles, addes parũ ſacchari, gratioris guſtus cauſa) exhibebis ſemicochlear argẽteũ, aut cochlear plenũ mulieribus, q̃ ex vteri prę̨fatione miſeris modis excruciãtur: & ſubito effectus ſequetur exoptatiſſimus. Ex improuiſo enim & quaſi miraculosè expergefient, priſtinæq; valetudinis integritati reſtituẽtur. *Ex Querc.*

Mulieres parturientes quædam lumbis dolent, quæ vix pariunt: quædam aluo, quæ ocyſſimè: quædam imo ventre, quæ pariunt difficulter. Infantes autem nuper nati, ſanguine ex vmbilico profluẽte, moriuntur, at obſtetrices peritæ, repulſo per vmbilicum ſanguine, eos reſtituũt vitæ. Vt verò nati sũt infantes, ſtatim manũ ad os admouẽt, queruntur q;: & intra viginti quatuor horas excremẽtũ reddunt. Vbi mẽſis ſeptimus aduenerit, dentire incipiunt: atq; eo celerius, quo nutricũ lac calidiꝰ extiterit. Vſq; ad ſeptimũ diẽ obnoxij cõuulſioni ſunt maximè, lethalior tametſi aluus ſupprimatur, & à ſcapulis incipiat cõuulſio, & q̃ in plenilunio oritur. Et cũ nutrix obeſior, lacq; craſſiꝰ fuerit: ipſaq;

 flatuo-

flatuosis cibis ac vino vtatur, maximeq; nigro. *Ex Cardan.*

Extracta siue magisteria oculorum cancrorum, vt appellant: testarum ouorum, limacum, & similium, quæ omnia salis naturam participant, fiant cum menstruo acido, cum aceto nempe vini, vel hydromelitis vinosi, vel cum succo limonum, berberorum & similibus. Si igitur ab eiusmodi testis, & membranulis siue pelliculis ouorum gallinaceorum, & similium rerum dissolutis, statim eorundem dissoluens inde separare velis, (quod elegans & magnum vtique mysterium, haud contemnendum est) aliquot guttulæ liquoris siue salis tartari dissoluti, super inijciendæ sunt: & sic magysterium parabis excellentissimum ad calculos dissoluendos, stranguriaș, ischurias, difficultates & suppressiones vrinæ: pro dosi offerantur paucula tantum grana: tanta enim efficacia & energia, pollent eiusmodi remedia in his affectibus medendis. *Ex Quercet.*

Ad dentes mobiles: Acetum scylliticum confirmat dentes, & constringit gingiuas, lac asininum similiter, vlmi cortex & ramuli in vino cocti, vt inde colluas. *Ex Holler.*

Saxones, Turingi & alij quidam septentrionales, crudum laridum vorant ad tolerandam diu sitim atque inediam, nihil æquè conducibile arbitrantes. *Ex diebus canicularibus Simonis Maioli.*

Pennarum diſcrimina multa ſunt, maximæ cycgnorũ, craſſiſſimæ ſtruthionũ, pauonum etiam noſtrorum & Indicorum, ob raritatem & mediocritatem: ſed optimè anſerum maximè ſylueſtrium. Eligũtur rotundæ, tenues, duræ, perſpicuæ, mediocris ambitus, longæ & ex ala dextra. Ex ala dextra, vt exterius incuruentur: rotundæ melius ſeruant duritiem, quoniam partes magis inuicem diſtant. Perſpicuæ plerunque pinguedine carent: ob id non reſpuunt atramentum: longæ diutius ſatisfaciunt, vt tenues melius: nam literarum etiã tenuiores virgulas perficere & delincare poſſunt: ambitus mediocris efficit, vt commodius apprehendatur, quoniam non excedit magnitudine, & vt facilius deducatur. Si penna ſub cinere calido abſque igne ſemel aut bis deducatur, multis vnà ſuccurritur incõmodis: nam ſtatim fricata exuit pinguedinem, & flexu incuruatur, in quam partem volueris (fit enim mollior) incuruatur autem in dextram (vt dixi) atque formatur in rotundum, inde refrigerata atque aqueo humido conſumpto, ſiccatur atque dureſcit. Præſtantiores autem ſunt, quæ ex animali iam ſeneſcente habentur, atque ſponte ceciderunt ſub veris initio: nam ſic manent, & denſiores ſubſtantia ſunt, nec friantur. *Ex Cardan.*

Contra pleuritidem remedia propria experientia, à nobis multoties cõprobata. Est aqua papaueris rhæadis ex qua exhibentur vnciæ iij. vel iiij. cum drachma j. pulueris ex corallo rubro, auellanis rubris, & lucij piscis mãdibulis compositi. Vidi hoc solo remedio, nulloq; altero siue interno siue externo adhibito, elegantes simul & certos experimẽtorum effectus. Si malũ perseueret vltra tertium diem, dãdum erit sudorificũ aliquod, quod eidem morbo sit congruum & specificum, cum pomo curtipendulo excauato, & olibani siue thuris masculi drachma vna repleto, & ad ignem cocto, adeò vt puluis olibani aç pomi substantia, inter coquendum cõmisceantur. Sunt qui adijciunt tantillum sacchari candi, & ita pomum edendum offerunt. Post deglutitum pomum assumat æger subitò duas vel tres vncias Cardui benedicti, & stragulis coopertus multum sudet. Huius remedij beneficio innumeros pristinæ valetudini restitutos nouim⁹. *Ex Querce.*

Gluten tenue fit ex piscium glutino, diutius ac vehementius super incudem cõtuso grauiter, inde horis viginti quatuor in tepida aqua super cineres madefacto: contusio enim illa & calefacit & tenuat, vnde etiam firmius coit, adeò vt vitri frusta glutinet. Aliud optimum, calcem vino extingue, tunde, adde suillum adipem & ficum, inde subige,

ſubige, lapidis hæc duritiem ſuperat: eſtque Plinij. *Ex Cardano.*

In omnibus iuuat ſcire cauſam, veluti quod ſpurus auricularis ad ſupremam annularis iuncturam non attingit, quoniam imbecillem generationem ſignificat. Ob id neq; in ſeptimeſtrib9, nec in gemellis, vtrinque enim generatio imperfecta: his quidem ob locum & nutrimentum imminutum, illis ob tempus. *Ex eodem.*

Præter cætera veri opij ſigna (inter quæ & albedo non vltimũ eſt,) hoc vnicum inprimis conſiderandum venit: quod facile inflammari poſſit tanquam lachryma ſulphurea ex papaueris capitibus ſeminũ plenis extillata, & tota oliaginoſa, quæ lampadi aut igni admota flammam concipiendę cauſam præbet, non ſecus ac res quælibet pinguis, ſulphurea & oleaginoſa. In Meconio autem ſiue opio vulgari idem animaduerti difficillimum erit: Siquidem in eius præparatione partes ſulphureę ab aqueis ſiue mercurialib. obtunduntur, ſimulq; tam herbæ ſiue folia ſiue capita recipiuntur, & quibus omnibus contuſis exprimitur ſuccus (in opium nigrũ poſtea, ſiue mauis Meconium, quod hodie in officinis habemus) concretus: quod tamẽ vulgare opium flãmam etiã concipere poſſe percipies, ſi lampadi admoueris. *Ex Quercet.*

Herbæ & flores quomodo colorem odorem ſaporemq;

saporemq; efficaciorem retineant. Flores in sole aut in clibano siccati, colorem odorem ac vires magis retinent, quã in vmbra, modò ne metam excedant moræ, sed statim vt siccati fuerint, extrahantur: nam in illa diuturna mora, antequam humidum aqueum consumatur, pingue in quo vires omnes & pulchritudo sita sunt, putrescit: atque ita corrumpuntur & firmiores euadunt: idem de folijs, fructibus atque radicibus existimare decet. *Ex Cardan.*

Gallinaceus vilissimus est, vtique paruidus, at nihilominus basilisco omnium animantium sæuissimo horrori est. Basiliscus enim adeò eius cantum exhorret, vt illo audito propemodum exanimetur. Peragrantes igitur Africæ campestria gallinaceos comites vehunt, vt basiliscos contemnant obuios. *Ælian. histo. l. 3. c. 30. Ex diebus Canicul. Simon. Maiol.*

Panis leuis & bene assatus fungosusque optimus est, si sit suauis. Si enim aut non fermentescat, aut aliena immixta, aut non coctus, grauis redditur aut mali saporis. *Ex Cardan.*

Flores sulphuris parantur, miscendo æquales partes sulphuris & colchotaris siue vitrioli perfectè rubificati & desiccati: omniaq; sublimando: postea adhuc semel sublimentur cũ solo succharo candi, vt ad ma-

ius

lis asthma, & alias affectiones pulmonum, conferant auxilium. Ex his floribus operâ terebinthinæ, conficitur rubinus sulphuris, qui excellentissimus est contra phthisim & vlcera pulmonum: exhibitus cum quodam liquore congruo, tunc cum separatus est à suo dissoluente. Ex ijsdem floribus ritè præparatis & dissolutis in oleo tartari (parati per salem suum resolutum, qui est oleagineus, & per consequens proprium est idoneum dissoluens ipsius quoque sulphuris) educes magisterium aliquod nempe lac, cremorem seu butyrum: cui dissolutioni si affundas acetum album, materia ebullire & vehementer efferuescere incipiet, citra etiam ignis additionem, & cremor lacteus sulphuris subitò petet fundum, & à dissoluente suo separabitur. Separabis itaque dissoluens per inclinationem, & varijs reiteratis ablutionibus cum aquis cordialibus edulcabis exactè materiam, & sic habebis lac siue cremorem sulphuris albissimum: hoc medicamento curantur omnes pulmonum & thoracis affectus. Ex *Quercet.*

Referunt leprosos balneo eius aquæ, in qua cadauer ablatum sit, sanari. Sed de qua lepra agatur haud compertum est: quædam enim scabiei pessimæ species est, alia ipsa elephantiasis. Similiter neque obseruatum est an semper id contingat, an forsan aliquan-

aliquando fortuito: ratione tamen res ipſa non caret, nam materia quæ ad cutim propelli ſolebat, antipathia cadaueris à natura nõ amplius propellitur. Indita enim eſt hæc ratio contrarietatis, etiam in inſectis, & eò magis in perfectioribus animalibus, & maximè equis ac canibus, vt odorem mortuorum ſui generis refugiant: quãto magis humana natura, quæ admodum ſenſu prædita eſt, atq; eo exquiſitiſſimo. Itaque occulta vi natura non amplius audet tranſmittere exterius humorem peccantem: atq; eo magis ſi hæc patiente, hæc ſciente fiant. *Ex Cardan.*

Venerem excitare creduntur ſpongię ſuppoſitæ, vt Atheneus refert, quod ego facilè crediderim, poſtquam & durior decubitus idem efficere ſoleat, licet non adeò vehementer. *Ex eodem*

Crocus Martis educitur è ferri ſiue chalybis limatura, quæ in furno reuerberij ab ignis flamma & vi in crocum eleuatur leuiſſimum & rubicundiſſimum. Eiuſmodi crocus cõfert dyſenterijs, lienterijs, gonorrhææ & ſimilibus affectibus, in quibus adſtrictione & fluxus inhibitione opus eſt. Sed crocus è laminis ferri candentibus, & in magdaleones ſulphuris immiſſis quarum vi ſulphur liqueſcit & funditur, vt cera Hiſpanica, virtutem habet attenuandi, aperiendi & deoppilandi: ſicut & is, qui per longio-

rem

rem moram ſolius aquæ conuenientis inbibitione elicitur, qui non tantum attenuat, ſed & à tartareis & melancholicis humoribus tum lienem totumque meſenterium repurgat. Hæc duo croci genera valent aduerſus quaſdam hydropiſes & cachexias. Crocus cum liquore acidulo ſiue oleo ſulphurij fit, infundendo prædicti liquoris partem vnam, & tantudem ſpiritus vini, in cochlear ferreum : vbi omnia bulliant ad ignem lentum vſque ad conſumptionem: poſtea reſideant per aliquot dies, & omnia in puluerem croceum ſubtiliſſimum conuerſa conſpicies: quem adſeruabis in paruis phialis optimè clauſis, ne aër intret: reſoluitur enim ab aëre. De eo aliquot grana exhibebis in iuſculo ſiue liquore congruo, in quo dictus crocus reſoluitur : qui ob martis naturam, quam participat, verum hepatis inſtauratiuum eſt, eiuſque conducit imbecillitatibus, & omnibus alijs morbis, qui inde oriuntur, quales ſunt cachexiæ, fluxus hepatici, hydropiſes, & ſimiles. Magnum vtique ſecretum & admirandis virtutibus præditum. *Ex Quercet.*

Ignaria fiunt è tabula attagenis (hæderæ hæc ſpecies eſt) & ſtylo lauri arboris in terebræ morem, dum concitato motu metu circumagitur adiecto ſulphure. *Ex Cardan.*

Inflammationi iecinoris obnoxij sunt illi, quibus viscus hoc impensius calet; quod colligitur, dum cupiditas cibi frequenter amittitur, inprimis respectu carnis dum frequens ac multa sitis est potissimum in principio cœnæ vel prandij, dum totus homo præsertim in plantis aut palmis calet, quibus vrina subrufa, pulsus celerior, vomitiones biliosæ, febriles accessiones & plerunq; ventriculi constitutio frigidior superueniunt. Ex *Horst.*

Aduersus ignes artificiosos. Experimento compertum est, nihil tam facere ad igniũ artificiosorum vim arcendam, quam coria recentia, quæ ob aqueam substantiam prohibent ignes accendi: ob leuitatem autẽ eliditur, nec subsistere potest. Ammianus hoc refert, qui etiam aluminis experimentum comprobat, cum ipse defensioni & expugnationi præsens adesset. Ex *Cardan.*

Pisces ac lac, omniaque acida lacti admixta, vinoque perfusa, scabiem ac lepram conciliant. Omnia enim impromiscuè sic ingesta, computrescunt, ac corruptioni efficiuntur obnoxia. *Ex Lemnio.*

In singulis animalibus pars vna est calidior & robustior & mobilior: alia vero quasi quieti & firmitati destinata. Vnde videmus gerulos, pondus sinistra spatula ferentes, facilius moueri quam dextra: nam si dex-

si dextra ferant, tarde & cũ difficultate procedunt. Partem igitur hanc agiliorem atq; validiorem dextram vocant. Ex *Cardan.*

Recip. Massa pilular. de Agarico scrup. iiij. cum aq; betonic. fiant pilulæ num. xxj. exhibeatur cum aliquot cochlearibus brodij pisorum. pro euacuandis pituitosis humoribus è stomacho. Ex *Horst.*

Quod quidam sine cibo viuant, ad melancholicam referendum est: non enim ex crudo humore vt quidã existimant. Scotus enim ille, qui tam diu sine cibo viuebat omnino erat melancholicus. Refert & Albertus se vidisse melancholicum quendam, qui cum diebus pene quinquaginta à cibo abstinuisset, solo aquæ potu interim singulis aut alternis diebus contentus erat: Itaq; constat eum humorem tam diuturnæ inediæ causam esse: sed non omnis humor eius generis: verum qui ex lentis & crassis humoribus gignitur, quique in loco sit opportuno, siquidem in ventriculo & mesereis atque iecore, cuiusque euinci queat: si hæc conuenerint, vsusque & natura adfuerit, longa ieiunia ferent: necesse est autem & aliquid cœlum conferre. Ex *Cardan.*

Portulaca dentium stupori medetur, qui ex acerbis acidisq; contractus est, quoniam est lentore prædita, quo ab austeris effectos dentes, & quibus deuinciuntur,

neruos

neruos lenit, suaque viscosa humiditate incommodum sarcit. Caliditatis autem atque astringendi ratione idipsum facit salis cõfricatio, aut si paululum casei ouilli viridis dẽtibus conteratur. Exsiccat enim, dentesque stupidos stabiles facit, atque ex frigido humidoque humore labentes fulcit. *Ex Lemnio.*

Quædam sunt subtilioris inuentionis quæ vsu non vacant: velut si herbas & ligna cæteraque eiusmodi, quanti elementi terrei aqueiue contineant metiri volueris: cineres earum & ipsas herbas aut ligna cõpara, & iuxta proportionem ponderis, iudica. Ita scies quænam herba humidior aut siccior fuerit. *Ex Cardan.*

Quædam cum minima sint ob frequentem vsum negligi non debent, velut id quod ferentes aquam in vasis tabellam imponunt, vt non effundatur. Cum enim aqua eleuatur vt effundatur, tabula naturæ lege quod leuior sit, licet inferius iaceat, ascendit: quamobrem limbo vasis, quod superior sit occurrit ante aquam ipsam, vnde repercussa aquam reducit: nec effundi potest, nisi cum adeò tabula eleuatur, vt inter ipsam & limbum vasis aqua media effluat. *Ex eodem.*

Electuarium de ouo Maximilian. I. Imperatoris. Recip. ouum gallinæ recens, &

educto per apicem albumine, id quod vacuū est, croco orientali non puluerisato impleatur: postea cū alio putamine iterum occlude ne quid transpiret, & lento igne vel post fornacem tamdiu assa in ollula, donec tot aoui testa nigrescere incipiat, diligenter cauendo ne crocus comburatur: exemta è testa, exsiccetur, vt in mortario exquisitissimè contundi & in puluerem redigi queat: addendo pulueris erucæ seu sinapis quantum reliqua duo ponderant: posteà Palu. Radix dictamni albi: tormentillæ ana drach. ij. Palu. Myrrhæ, cornu cerui, nucis vomicæ ana drach. j. Palu. Radicis angelicæ, Pimpinellæ, Granorum iuniperi, zedoariæ, Camphoræ ana vnc. sem. Misce omnia simul in mortario: & tandem appone Theriacæ ad pondus omnium, & iterum pistillo fortiter contunde, & commisce per tres integras horas agitando, fiat electuarium vt artis est. Eius vsus maximus est in peste & præseruatione à venenis deleterijs. *Ex Quercet.*

Fœmina & masculus si simul edantur, raro superuiuunt ambo, quoniam natura ambobus vix potest satisfacere. Si superuiuant sunt debiles, vtpote à vitiato principio progeniti: nam quia ante tempus vnus, vel post alter necessario orti sint. Nam constat mares aliquos tardè nasci, & robustos, & fœmellas celeriter. Item causa incre-

menti

menti in maſculis & abſolutionis in vtero eſt calor: atq; id rectè ab Ariſtotele dictum: incrementi in fœminis humidum tenuius, & ob id celerius extenditur. *Ex Cardano.*

Sulphur auratum diaphoreticum paratum cum fœcibus reguli in aqua diſſoluti & in lixiuium redacti: in quod ſi cochlear argenteum immiſeris, vero aureo colore id tingi animaduertes. Huic lixiuio adde parum aceti, & videbis crocum auratum ſtatim fundum petere: ſepara dein lixiuium per inclinationem, & prædictum crocum optimè ablutum, dulcoratum, & deſiccatum collige ſeorſim, qui admirabile erit ſudorificum, & ſanguinis mundificatiuum, multis morbis depellẽdis aptiſſimum: doſis ſcrup. ſem. *Ex Quercetano.*

Noui podagricos, qui ſæuiente morbo dolentem pedem frigidiſſima perfundant. Alij hibernas reponunt niues eidem remedio. Sed vbi frigore dolor obtorpuit petroleo fouent, & puropyſmis liberantur. *Ex I. Holler.*

Quis ſenſus tactu hebetior in homine? Et tamẽ lapidem in veſica cathetera deprehendimus. Nam ſi illum tangamus digitis apprehendentes catheteram, ſentimus lapidem non ſecus ac ſi tangeremus. Quomodo, vix dici poteſt: & tamen licet. Quinimò

imò & quantitatem percipimus deducentes catheteram. *Ex Cardan.*

Tenuis plumbi lamina, plumbum vstum lotum, summopere medetur cancris. Recrementum plumbi in æquali vino exactissimè læuigatur, affusoque puri myrteo decoquitur, dum sit luti crassitudo, & aurium, nariumque vlceribus accommodatur. *Ex Holler.*

Origano dulce vinum seruari, prodidit Aristoteles adeò constãter vt etiam causam illius reddat. Seruatur à corruptione illæsum, & si odorem etiam contraxerit, maximè herba sclarea (quam quidam beati Ioannis appellant) odorata, & hormino valde simili: vel etiam corticibus malorum arantiorum. *Ex Cardan.*

Optimum mel olim erat Hymetium Thasiumque: sed nunc ex notis dignoscere licebit: Optimum nanque est primò dulcissimum & acerrimum, hoc ideo luteo colore est: substantia vero tenax admodum, ac velut viscum lentum: neque crassum admodũ, neque tenue: perspicuum atque purum, siquidem Atticum Hymetium fuerit, biennio exacto fit acerrimum, & ob id præstantissimum: odore vero suaui: est quod vinum redolet antiquum, quod thymum: adulterinum vel non elaboratum, quod non est lentum, sed disrumpitur: rursus amarum, cereũ,

 in æqua-

inæquale, impurum: quæ omnia vitia sunt, & eo deteriora, quò à natura magis aliena. Quod verò conficitur è thymi floribus; ob id melius est: quia mel naturam retinet eorum, ex quorum roscido humore conficitur. *Ex eodem.*

Mel quomodo purgetur. Mel liquidum purum seipsum reddit expurgatq;, reijciens quod impurum est supra, vt expertus sum: quo fit, vt aberrare non possis, si in vase seruaueris: sed durum, manet impurum, interim verò senescit. *Ex eodem.*

Cadmia cremata pluribus diebus læuigatur, ex aceto quidem in malignis, in alijs vino, modò giluo, modò è dulci austeriusculo. Atque sic elaborata incarnat, & cicatricem claudit. *Ex Holler.*

Oleum corruptum quomodo restituatur. Emendatur imposita alba cera, cum olei parte liquefacta & sale frixo, inde gypsato vase. *Ex Cardan.*

Mel vernale suauius atque candidius autumnali, autumnale tamen solidius ob roris concoctionem, æstate enim factum est: imbribus minus mellis, quoniam neque ipsæ laborant, nec ros decidit, sed soboles copiosior. At per siccitates mellis plurimū, sobolis parum: ideoque mel & oliuæ eandem sortē subeunt, quod siccitatibus vtraq; iuuentur, minuāturq; imbribus. Ob id præ-

stat

ſtat cuſtodem hæc animaduertere, vt ſciat compendium ex vtroque facere: nam neq; ſoboli per ſiccitates operam dare conuenit colligendæ: & melius eſt per imbres ſobolem admittere, melq; dimittere. *Ex eodem.*

Aqua extemporanea Cancrorum Cancri aut gammari bulliant cum aqua ſemperuiui maioris, in vaſe duplici accuratè occluſo per diem integrum: poſt deſtillentur igne ſubiecto. Aqua ter affundatur capiti mortuo, & abſtrahatur: tum demum reſeruetur. Inflammationi, ambuſtis, & carcinomati multum cōfert. Si ex cineribus capitis mortui ſalem cum propria aqua elicies præſtantius euadet remedium ad curanda carcinomata, & phagædenica omnia vlcera. *Ex Quercet.*

Gluten optimum. Fit ex pice Græca, picea reſina, & laterum puluere: dum frigidū eſt, firmiſſimum: cum concaleſcit, remittit. Nihil melius quam quod ſimilibus: ſimilia enim cum ſimilibus facile iunguntur. *Ex Cardano.*

Ne veſtes diſſuantur, quod facile euenit iuxta humeros, ſi ex malè contextis pannis, quales ſunt bernucij noſtri, cōſtent, polymitas dicere poſſumus, & perturatas, aut ſerico laneam ſubſutam validam aſſuito veſti, parteſque ſubſutæ conſue arctius vt breuior ſit, veſtem autem molliter iunge:

ita firma erit connexio, nec futura laborabit, nec vſus atteret, atque hæc vtilia ſunt & à ratione non aliena. *Ex eodem.*

Sal vitriolum vomitiuum. Paratur ex ſale vitrioli, de quo accipias grana 7. 8. vel 10. pro ægrotantis viribus, idque diſſoluas in vino, iuſculo, aut congruo aliquo liquore, & exhibeas ijs, qui eo opus habent, & mirandos eliciet effectus. Porrò vt palam fiat, quam potentes & mirabiles effectus huiuſmodi purgandi ratio, vomitorijs congruis, & quæ altius mali radices extirpant concitata, exerat, hic hiſtoriam enarrare placet. D. de Luynes & de Fourmentieres regius Conſiliarius parlamenti Pariſienſis, anno ætatis ſuæ 40. vt ipſe mihi referebat, graui & diuturno morbo corripiebatur, quem ſimul febris lẽta ac languida comitabatur, ex qua corporis habitus omnino reſiccatus, & maraſmo cõſumptus ferè videbatur. Medicorũ vſus nihil profecit. Derelicto igitur ab ijs & tanquam deſperato offertur illi à Domina de la Noue, tabella ex floribus albis Antimonij, & ſaccharo parata, quam ipſa ſumere eum hortatur, ſimulque huius remedij vim & operationem prædicit: Vnde D. de Luynes ad extremum iam redactus, fortunę aleæ ſi commiſit, hancque oblatam tabellam ſumpſit. Aliquot horis pòſt, tam vehementi impetu vomitus prorupit, vt inde

quaſi

quaſi obſtupeſceret: altera verò vice euomuit albagineam quandam viſcoſam materiam, formæ rotundæ & conglobatæ, pedis ferè longitudinem, cannæque ſiue arundinis craſſitudinem referentis: qua euomita ſtatim ſe reſtitutum, vt & erat, exclamabat, & ſic paucis poſt diebus perfecte curatus, conualuit: venit, & gratias egit commemoratę dominæ, & ſecretum remedij ab illa petens, obtinuit. Vnde occaſione oblata idem ſępenumero in alijs pluribus ægrotis expertus eſt. *Ex Quercet.*

Modus elaborandi vitrum. Fruſta vitri excocta ex omni genere colorum (hæc autem Venetijs, vt pleraque alia pulcherrima fiunt) candelæ exponantur: & vt in tenuitatem quam volueris, atque mollitiem deuenerint, confeſtim admota loco annexaque franguntur, aut extenduntur: & ob celeritatem, hęc ambabus manibus fiunt. Difficilius eſt in his, non vt in alijs initium aſſequi, quā ex initio exactam artem. *Ex Carda.*

Pelles quomodo ſeruentur. Pelles ſiccas aut in ſole diligenter ſiccatas, excuſſo puluere in arcis loco ſicco collocabis: ſufficiet ſemel in anno aëri ſereno expoſuiſſe, melius ſeruantur ſibi ſimilibus, nam laneis immixtæ eroduntur à tineis, à lineis humectantur. *Ex eodem.*

Coria quomodo ſeruentur. Coria loco

 mun-

mundo altioreque à terra seruari debent, vt nec humido nec puluere tangantur, præsertim quę tincta sunt: hæc enim duo corrũpere omnia solent, velut & laneos pãnos. Puluis enim erodit & blattas procreat: humidũ autem situm, & ex situ putredinem affert: ventus ergo vt refrigerat & siccat vtilis: qui puluerulentus est, qualis Ecnephias ac Typhon, aut humidus qualis Auster, & qui à mari, iuxta corrumpit omnia, vt etiam laneos pannos. Quod si validus sit assiduusq;, nec expers acris qualitatis, etiam ferrum exterit. *Ex eodem.*

Vinum purgans ex floribus prunorum persicæ arboris, hyperici &c. Ad huiuș vini cõpositionem, verno tempore sufficiens colligenda est florum prunorum, tam hortensium quam agrestium copia: hisque tertia vel media pars dolij replenda, quibus adde; Vuarũ Corinthia. lib. 5. Prunorum dulcium lib. 3. Iuiubarum lib. 2. Dactylorum absque nucleis lib. 1. fœniculi vnc. iij. Cinnamomi vnc. ij. Affundatur vinum optimum vsque ad summum vasis, quo accuratè clauso, omnia macerẽtur ad dies viginti, aut mensem vnum. Hoc vinum nullam planè nauseam exhibet, & potest loco diaprani sumi. Habet enim vim alterandi & purgandi humores biliosos: seruatur ad vsum per integrum annum. Dosis est dimidium vitrum

trum quod citra diagridij additionem blandè purgabit. *Ex Quercet.*

Vinaria vaſa loco ſicco frigidoque ac perflato condi debent: vbi vinum conſumptum fuerit intra dies quindecim, exempto oſtiolo purgabis relinquesque aperta, ſed obſtructo ſuperiore foramine. Illud ſanè mirum videri debet, cur foramine ſuperiore recluſo, odorem prauum contrahant, quamuis exiguo: à maiore longè, ſed à latere non inficiantur. Cauſam eſſe dicemus, quod ſine motu vapor deſcendit, atque hic craſſior, motus autem aëris non corrumpit: contrahunt autem aliàs macidum, aliàs fœtidum, qui deterior eſt, odorem. *Ex Cardan.*

Iuuat ad ſaporis iucunditatem & ſubſtantiæ ſoliditatem, vt non prius res aquæ immergantur, quam ipſa ferueat, verum tamen ius inſipidum redditur: ita carnes & piſces, & aſtaci, & teſtitudines, & lactucæ, & caules, cæteraque eiuſmodi ſaporem & odorem retinent, & friabilia redduntur, non tamen adeo mollia fiunt, nec ius tam bonum reddunt. *Ex eodem.*

Odorum iucundiſſimi ſunt, moſchus atque zibethum, florumque quorundam, ſed is citò euaneſcit. Diſſoluitur moſchus contritus diu cum aqua illius o-

 dore

re imbuta, aſſidueque molere oportet manè ac ſero, aquam paulatim ſuperfundendo: adeò enim quod ſincerum eſt, pingue eſt, vt aquam quaſi in oleum tranſmutet, ab oleo vero ſiccetur , id facere conuenit, donec mellis ſpiſſitudinem acquirat, poſt zibethi quartam partem addunt : ſic ſeruant ſe mutuò, & mixtis, temperatè odoribus fragrant. Aquæ verò potius odore imbuuntur ac vaporibus, quam ſubſtantia, vt referebat Gulielmus Balinus : Moſchi enim ſubſtantia adeò ſicca eſt, vt non benè diffundatur. Ob id igitur Moſchi pauca grana torrentur ſub vaſe canaliculum in medio habente, excipiturque fumus vitrea ampulla, cui alia plena aqua ſuperponitur, atque ita committitur, vt dum calet alterutra, excipiat, reddatque aquam odore imbutam: demum in ea quæ fumum excepit, ſeruatur aqua pauco moſcho addito. *Ex eodem.*

Triticeum panem bonitate ſequuntur, ſecalinus, hordeaceus & id genus alij. Qui verò alij panes ex milio aut leguminibus concinnantur, procul alijs bonitate diſtant : imò nec ſatis ſalubres ſunt. ***Ex Quercet.***

Thoraces ſericei vel ex alia materia confecti vt diutiſſimè durent. Thoraces lacerantur diſtenſione quæ à ligulis fit, dum caligis alligantur: ob id non paruo compendio rei fami-

familiaris inuentum est thoracem lineũ &c. qui caligis alligetur sericeo vel ex alia materia confecto supponere: nanque præter id quod diutius durat, ac quantum vestis, nitidior manet. Oportet autem deponere & facilè licet. Sic vestis magis ornat hominem, minusque fatigat ferentes, attamen lassitudines & deinde febres ex hac tanta & tam crebra mutatione interioris amiculi exoriri solent. *Ex Cardan. & Anonym.* pō mr. Chanci.

Sfragis nullis certis notis dignosci potest, cum ab ea quæ Galeni erat multum degeneret, nec niteat: nitor enim causa est, vt plurima facilius cognoscantur, nec tam facile est mentiri splendida. Igitur quæ vulgo existimatur optima, & pro auri pondere æstimatur ac venditur, alij pro dimidio tantum: terra est ex rubro alba, aspera, quasi arena, Turcicis literis impressa, in pastillos angustiores sed crassiores formata: qui mos ab ipsis etiam in nummis aureis obseruatur: ita ergo alba est: quasi rubricam vndique & subtilissimè, sed modicā valdè immiscueris: quod si splendor adesset, roseum colorem meritò appellare posses. Verum experimentum est, si scamonium cuiquam dederis, inde sfragidem, statimque aluus subsistat, tollanturq; punctiones, hoc enim ei quasi proprium est. *Ex Cardan.*

In eadem specie plurimæ sunt diffe-

rentiæ, veluti longiorum, latiorum, asperiorum, leniorumq; foliorum: velut raphanus, quo leniora habet folia, eo minus acris est radix, minus enim sicca: quæ autem minora, acutiora: & ideo in moderatis ac insipidis meliora: in alijs, deteriora: quæ capitata & crispa, facilius concoquuntur, quoniã friabilia sunt. *Ex eodem.*

Mundatum hordeum & apprimè coctum, magnam vim alendi habet, nec non phthisicos medicandi. *Ex Quercetano.*

Rosæ rubeæ minus sunt odoratæ albis: quæ verò purpureæ, sunt omnibus odoratiores: croceæ autem etiam malè olent: cur hoc? rubeæ nimis siccæ sunt: accidit autem, vt in tenui substantia, citò siccum exhalet, velut & in syluestribus: albæ autem quoniam nimis humidæ sunt, non tam benè olent, retinent tamen magis odorem: purpureæ cum temperatæ sint, optimè olent, & diu retinent odorem. *Ex Cardan.*

Vniones, nitore primum viuaci illo dignoscuntur: pleraque enim preciosa nitent: atque ea inter congenera, velut gemmæ inter lapides, aurum & argentum inter metalla, vniones & coralli inter baccas aut plantas, os monocerotis & ebur inter ossa, pazar inter molles lapillos: itaque (vt di-

xi) vniones nitent, nec ſunt perſpicui, ſed nitor ille purus eſt, non pinguis, ſed ſiccus & viuax: nam conchæ earum & vitrum, & quæ ex paruarum puluere conſtant, perſpicuitatis omnes ſunt participes: nitor verarum, in vnum quaſi collectus, reflectit lumen clarum. Xyloaloës liqueſcit in igne velut thus: atque ita expertus eſt coram me Gulielmus Canaſatus, an omne tamen incertum eſt, ſed id optimum. *Ex eodem.*

Cubicula quæ diu calorem retineant.

Inter ea quæ & voluptatem & vtilitatem afferre poſſunt, id eſt, vt æſtate ſine calore, & hyeme, ſine frigore degamus: nihil autem commodius ad frigus tollendum cubiculo ligneo, paruo, vndequaque bene concluſo, vt ne rima dehiſcat: commodius verò fuerit vt è tabulis fiat, quæ calorem diu retineant: oportet ergo ſolidiores eſſe, & pingui humido & calenti abundante, cuiuſmodi forſan eſt lignum eius iuniperi, à quo lachryma fluit, quam ſandaracham ſolemus appellare: forſan melius erit, quod anacordos parit: huiuſmodi in Sicilia eſt, ſed rarum & exile: aut lana inducta, aut pellibus, vel pluma, melius calor continebitur. Itaque fieri poteſt, quanquam difficile creditu, vt calor

ille ex igne conceptus per plures dies maneat. *Ex eodem.*

Cerasa vt asseruentur, in clibano exiccantur, quæ ob sitim febricitantium fallendam commodè vsurpantur. Aqua illorum stillatitia febribus & internis inflammationibus opitulatur. *Ex Quercet.*

Vespa & modus capiendi eas. Proximæ apibus ac earum generi vespæ sunt, quæ nec mel, nec ceram bonam progignunt: sunt pamphagæ, & ob id, in olla in qua caro sit, facilè capiuntur: oportet enim operculo obducto ollam ignibus superponere. Sub terra cellas faciunt. Matrices sunt autem vespæ maiores, in arboribus hyeme latent. Ex his vespæ primæ gignuntur, è quibus aliæ, donec absoluatur agmen, intereunt hyeme ineunte. Si vespam pedibus posterioribus prehenderis, sinasque bombum mittere, cęteræ quæ aculeo carent, ad illam vt masculi ad fœminam, auxilium tanquam allaturæ, aduolant. *Ex Cardan.*

Ex cucurbitis cum modica omphacij quantitate iuscula parantur: vt ex cucumeribus, quorum tamen vsus frequentior in acetarijs: scinduntur enim in orbiculares rotulas, quæ super infuso aceto & sale, intra duas patinas iactantur: hoc vero aceto ablato, & recenti cum oleo, sale & pipere affuso, acetaria fiunt, & æstiuis diebus vt plurimum.

mum primis mensis apponuntur. Reperiuntur in Gasconia, qui cepas in rotulas sectas admiscent, quibus nimiam cucumerum frigiditatem corrigunt. Cucumeres immaturi adhuc vt parui, cum aceto, sale, & paululo fæniculi condiuntur: vsus horum hybernis diebus perinde est, ac capparum & oliuarum. Qui verò imbecillo aut frigidiori ventriculo laborant, quales sunt vt plurimum senes, ab eiusmodi fructibus, quocunque modo præparatis sibi omni studio caueant: proderunt illi quidem iuueni calidi & biliosi temperamenti: cuius ventriculus instar aquæ bullientis perpetuo feruet, hoc enim modo bilis acrimonia retunditur: sed tamen illis cautè & moderatè vtendum est: propterea quod facilè corrumpantur, & febres putridas generent. *Ex Querc.*

Nebulæ in suprema parte aëris albicant, quia frigidior est ea regio, infra autem non similiter: & in timentibus alba fit facies: contracto enim calore & sanguine, aer vbi contentus congelatur, fitque pallor & albicat facies. Et si perfrigeratio multa sit, albescunt plurimum vt in mortuis. Non ergo ex sola sanguinis priuatione fit albedo in his, sed ob aeris congelationem. Propterea & ex timore eousque res quandoque procedit, vt non aer solum, sed humor te-

nuis

nuis congeletur, fiuntque hectici. Eaque de causa etiam à tristitia diurna hectici fiunt, maximè adolescentes, quia hũmor tenuior est. Quod si timor etiam vlterius procedat, congelato etiam sanguine, in grauissimos morbos incidunt. *Ex Cardan.*

Vidi ancillam quæ canem meliteum, ac catum, comitiali morbo affecit, vt tota domo circumcurrerent velocissimè, & protinus velut mortui caderent: vnde duo mira sunt, comitialem morbum contagiosum esse, ac in diuersas species commigrare. *Ex Cardan.*

Borrago & buglossa herbæ tẽperatissimæ, optimæ quoque sunt & saluberrimæ in iusculis coctæ: illæ enim exhilarant cor & humorem melancholicum ad temperiem reuocant: vnde sequitur ipsorum vsum inprimis conferre cardialgiæ cordisq; deliquijs; nec non pectoris melancholicisq; affectictus omnibus. *Ex Quercetano.*

FINIS HVIVS OPERIS.

IN-

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HIS LIBELLIS CONTINENTVR: NVMERVS paginam indicat.

A.

Amba-

Arma

C.

Cereui-

Cru-

Epiſto-

Hepa-

I.

Iſchia-

Mortuos

R.

S.

Vlcera

ERRATA.

Pag. 36. Papillus lege lapillus. pag. 201. humach, lege hamech, pag. 58. ſe redimunt adde per eum annum putantes ſe à dolore capitis immunes fore, pag. 225. præfutione, lege præfocatione. Cætera lectoris diligentia corriget.



